



EX LIBRIS

THEATRUM
BASILICÆ
PISANÆ.

THEATRUM BASILICÆ PISANÆ,

In quo præcipuæ illius partes enarrationibus, iconibusque ostenduntur.

Curâ, & Studio

JOSEPHI MARTINII

Ejusdem Basilicæ Canonici, & J. S.



ROMÆ, MDCCV.

Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerensi.

SUPERIORUM PERMISSU.

Tab. 1


VENERABILIS PRIMATIALIS ECCLESIÆ PISANÆ TITVLVS et
ILLVSTRE EIVSDEM CAPITVLI SIGNVM
Petrus de Petris del.
Io. Hyeronymus Frezza Sculp. Romæ Sup. perm.

DEIPARA VIRGO.



ETINUIT *me adhuc usquetùm Tua Majestas, tùm humilitas mea, ne sacrum hoc Tibi opus dicarem. Nihil enim in mea hac*

styli

styli jejunitate , atque eruditionis inopia dignum esse putabam , quod oculis Tuis , qui Orbi universo debentur , subjicerem . Verùm ut primùm partem hanc ingenii mei in lucem evocare constitui , Tu semper occurrere visa es , non solùm prima ; sed sola , cui eam nuncuparem , ut æquum tandem duxerim aliquid potiùs de verecundia , quàm de obsequio remittere . Neque enim is sum , qui rude hoc meæ tenuitatis specimen , dum Tibi inscribo , dari potius , quàm reddi putem . Tuum est quidquid in hoc Templo aut Religionem , aut admirationem meretur ; Tuæ sunt divitiæ , quas produco , Tuum est opus , & gloria , nec profectò dignum aliquid haberem , quod darem , nisi redderem quod dedisti . Tuum est , inquam , Templum , quia à Gelasio Romano Pontifice Tibi ritè consecratum transiit in jus Tuum ; Tuum , quia Saracenorum Tuis auspiciis subactorum opibus constructum est ; Tuum , quia Tuum ipsa agnovisti , & Raynerio inter Divos Tibi charissimo ut gremium Tuum illud ostendisti . Tuum denique , quia ad Provinciam hanc aggrediendam , atque hujus Templi historiam exarandam mihi & stimulos , & animos addidisti . Resero itaque augustissimum hoc Templum Orbi universo , in quo fortitudinis , pietatis , magnificentiæ monumenta adeo extant illustria , ut ab his reliquiis dignitatem Veteris Urbis , nunc ipsis in ruinis vix agnoscendam , liceat aliis deprehendere , mihique usurpare . Qui Pisas videre cupit , hoc Templum subeat , & aspiciat . Tu interea AMANTISSIMA VIRGO *accipe hoc exiguum , si non eruditionis , at saltem diligentiæ testimonium , tenue quidem , non inficior , ac tantæ* REGINÆ *impar ; Verumtamen optime novi Te non oblatorum*

pretio ,

pretio, & magnitudine moveri, ſed offerentium voluntate.

Humill. & addictiſs. ſervus
Joſephus Martinius.

INDEX CAPITUM.

INDEX
TABULARUM ÆNEARUM.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.



EX mandato Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri vidi Librum, cui titulus, *Theatrum Eccleſiæ Piſanæ* quam dicunt Primatialem, compoſitum ab Illuſtriſs. Canonico D. Joſepho Martini, & in illo nihil inveni, quod ſacris Eccleſiæ Romanæ dogmatibus, & bonis moribus adverſetur; ſed fuiſſe ſupradictam Eccleſiam clare deſcriptam, atque eruditione illuſtratam, adeo ut abſentium oculis clariſſime pateat; quamobrem opus dignum judico, quod publica luce donetur: Hac die 16. Novembris 1702. In Collegio Romano.

Ego Philippus Bonanni Societatis Jeſu.



IMPRIMATUR

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. Sac. Apoſtolici Palatii Mag.



PRÆFATIO,

ET

Pisarum Nobilitas.

CAPUT I.



UGUSTISSIMÆ, ac celeberrimæ Pisarum Basilicæ historiam descripturus, video provinciam me satis arduam, meisque viribus imparem suscipere; hoc præcipuè tempore, cùm in eadem elucubranda tot eruditissimi, clarissimique Viri feliciter desudaverint; nihilò tamen minùs, quòd multa, quæ hac de re privato olim studio congesseram, præ manibus habeam, veritus sum ne inertiæ, ac desidiæ, vel etiam timiditati mihi verteretur, si hac, qualiscumque ea sit, opella, eruditos Viros fraudarem. Movit me quoque non parùm (ut ingenuè fatear) Patriæ amor, quem, quando majora aggredi nec possum, nec audeo, hoc saltem publico documento testatum perpetuò volo. Hoc verò consilium meum, benigne Lector; fore ut non omninò improbes, confido: Præcesserunt siquidem exemplo tum ex antiquioribus, tùm præsertim ex recentioribus, qui Urbium suarum, vel Regnorum monimenta publicæ donarunt luci. Sequor horum exempla, quæ si non assequar puritate sermonis, elegantia, nobilitate sententiarum, homini variis domesticis, publicisque curis distracto, ignosce, meque in tuam clientelam suscipito. Reum enim me, sed reum venia non indignum fecit amor in Patriam.

Pisarum Urbs adeò vetus est, ut de illius exordio non una sit Auctorum sententia; Eam Plinius lib. 3. cap. 5. è Pelope, Pisisque originem duxisse putat. Dionysius Halicarn. lib. 1. à Pisis Alpheis Pelasgis; cui subscribit Virgilius lib. 10. Æneid. dum ait:

Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ
Urbs Etrusca solo.

Consonant his Scriptoribus Servii Honorati verba nimirum: *Alpheus fluvius est inter Pisas, & Elidem Civitates Achaiæ, ubi est templum Jovis Olympii, ex quibus locis venerunt, qui Pisas in Italia condiderunt, appellatas à Civitate pristina.* Strabo lib. 5. pag. 154. Scribit Pisas fuisse ædificatas à Pisæis, qui cum Nestore ad Ilium oppugnandum è Peloponneso venerunt. *Pisæ, inquit, à Pisæis Peloponnesiis conditæ sunt, qui cum Nestore ad Troiam profecti in reditu navigantes eiecti sunt, alii ad Metapontum, alii*

ad agrum Pisanum, cum Universi Pylii dicerentur. Straboni non dissentit Rutilius Numatianus in suo Itinerario lib. I. En ipsius verba;

Alpheæ Veterem contemplor originis Urbem
Quam cingunt geminis Arnus, & Ausur aquis.

Et paulò post;

Ante diu quàm Trojugenas fortuna Penates
Laurentinorum Regibus insereret;
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.

Alii tandem Pisarum primordia in Theutanos Græcam gentem retulere. Utcumque res se habeat in confesso apud omnes est Civitatem hanc jure merito esse inter antiquissimas Civitates annumerandam.

Venerandæ huic antiquitati splendorem addit non exiguum ea, qua terra, marique Pisæ claruerunt potentia. Deflecterem non parum ab instituti mei semita, si innumeros velim percensere scriptores, qui de singulari hac Pisanæ Civitatis potentia meminerunt. Duos præ cæteris seligam vitæ sanctimonia, ac doctrina præstantissimos Viros, Divum scilicet Bernardum, & Cardinalem Baronium. Hic ad annum 1133. annalib. Ecclesiastic. ita habet: *Salubre illud Innocentius* (nempe secundus) *consilium iniit ab Urbe recedendi, Pisasque petendi potentissimam tunc Civitatem, maritimisque in primis viribus, & principibus quibuscumque timendam, erga Sanctam Sedem addictissimam.*

Non minoris sunt ponderis Divi Bernardi verba. Audi quid epist. 140. ad Lotharium scribat; *Quænam quæso in omnibus Civitatibus sicut Pisa fidelis egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium Regis? Nonne hi sunt, qui nuper Regni illum unicum, & potentissimum hostem ab obsidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi sunt, qui etiam (quod penè incredibile dictu est) in uno impetu suo expugnaverunt Amalphiam, & Rebellem, & Scalam, atque Atturinam Civitates utique opulentissimas, & munitissimas omnibusque, qui antehac tentaverunt, usque ad hoc tempus (ut aiunt) inexpugnabiles?*

Supremus tantæ potentiæ veluti cumulus accedit singularis in Deum pietas. Præclarum esto hujus pietatis argumentum, quod Ughellus de Ital. Sac. lib. 3. col. mihi 401. & Troncius in annal. Pis. pag. 3., scribunt; Pisanos nempe quadragesimoquarto post Divinum Verbum Incarnatum anno lustralibus à Divo Petro undis fuisse initiatos; Decebat nimirum, ut ab eodem Apostolorum Principe consecrarentur ii, quorum Civitas à suis successoribus Romanis Pontificibus in Asylum erat aliquando deligenda; Cum enim Innocentius Secundus Roma migrare decrevisset, Pontificiam Majestatem uni huic, præ cæteris, Civitati commissam voluit. Placet Divi Bernardi verba epist. 130. de hoc Pontificis consilio referre: *Jam pro meritis*, inquit, *tecum actitat Deus, Populus, quem elegit in hæreditatem sibi: omnino populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Assumitur Pisa in locum Romæ, & de cunctis Urbibus terræ ad Apostolicæ sedis culmen eligitur. Nec fortuitò, sive humano contigit istud consilio; sed cælesti providentia, & Dei benigno favore fit, qui diligentes se diligit, qui dixit Christo suo Innocentio: Pisam inhabita, & ego benedicens benedicam ei; hìc habitabo, quoniam elegi eam*; Hæc sunt Divi Bernardi verba,

ba , sivè ut meliùs dicam , Hæc est luculentissima Pisanæ pietatis panegyris:

Hujus porrò pietatis monumentum præclarissimum extat Templum, quod in præsentiarum describendum aggredimur ; Antequàm tamen manus operi admoveamus , illud unum moneo , me in hoc opere de aucupanda eruditionis , ac literaturæ fama minimè laborare ; contentum simplici stylo narrare , quæ mihi appositiora videbuntur , quæque à vetustatis , ab incendiorum , à bellorum ruderibus eruere potui .


Tab. 2
Prospectus Basilicæ Pisanæ
Baptisterii, Cœmeterii, et
Turris Campanariæ
Marianus Franceschinius Sculp. Romæ Sup. perm.

De loco Basilicæ.

CAPUT II.


RIMO igitur, ut gradatim procedamus, ab ipso loco exordiamur. Pisis erant olim Imperatoris Hadriani Thermæ, ut refert præmemoratus Troncius in præd. annal. Pisan. pag. mihi 22. Hæ postea deservierunt pro fundamento Ecclesiæ S. Reparatæ Virginis, & Martyris Archipresbyteratui Pisano annexæ, quâ è medio sublatâ inædificata fuit Basilica Pisana. Proindeque locum hunc, quem pro detergendis corporum sordibus superstitiosa Gentilitas consecraverat, postmodum invictissimæ Virginis, & Martyris Reparatę Sanctuario expiatum, pro abluendis Animarum maculis Triumphatrici Cœlorum Reginæ Religiosa Civitas Pisana dedicavit. His Hadriani Thermis haud absimiles, ni fallor, eas extitisse autumo Antonino Pio, ut referunt, imperante prope Civitatis januam, quam vulgò vocant *à Parlascio*, extructas. Harum pars adhuc hodie ibidem visitur, quæ cum esset ultra dimidium ruderibus obruta, ac pene sepulta, oculos cognitionemque omnium diu fugerat, donec ipsam doctissimus Cessinius detexit; cujus iconem, nonnullis tamen ornamentis nuper repertis exornandam, exhibet Em. Norisius in Cenotaph. Pis dissert. 3. pag. mihi 366. De his, ac de prædictis, nec non fortasse de aliis hac in Urbe existentibus Thermis loquitur vetustissimum Cenotaphium in obitu Caii Cęsaris expressum, de quo infra pag. 118., nam Colonia Julia Pisana, audita morte C. Cæsaris Augusti censuit ut à die quo illius obitus nunciatus est, usque ad eum diem, quo ejus ossa relata atque condita sunt veste mutata, templisque Deorum immortalium, *balneisque publicis*, & tabernis clausis ab omni lætitiæ genere abstineretur.

His obitèr adnotatis, ne sterilis omninò lectori accidat narratio, Universam Templi, partiumque illi adnexarum, ac totius soli adiacentis imaginem in ære graphycè incisam subiicio unico contemplandam intuitu. Commendarunt hunc prospectum quotquot illum celebres Viri considerarunt, præcipuè verò egregius in pingendi arte Salvator Rosa Neapolitanus, cui mirum in modum arrisit. Nec immeritò; Theatri siquidem nobilissimam præsefert speciem, in quo certare simul de gloria videntur quatuor pervetusta, ac planè miranda architectonicæ artis marmorea monimenta; Templum scilicet ipsum, Baptisterium, Cæmeterium, ac Turris Campanaria.

Hujus loci area ad Orientem ductâ lineâ ab Oratorio D. Rocco sacro ante faciem Templi D. Raynerii usque ad ædem vulgò nuncupatam *Opera*, quam & Carolus VIII. Christianissimus Gallorum, & Hierusalem Rex, ut publica docet inscriptio inhabitavit, protenditur in latitudinem palm. circiter 392. Postmodum ad Aquilonem ex prædicta æde ductâ lineâ rectâ ante faciem Cæmeterii, seu Campi Sancti usque ad extremitatem parietis horti prope idem Cæmeterium existentis, ad palmos 1015. in longitudinem extenditur. Inde ad Occidentem ductâ lineâ ante faciem domus, ubi Canonici, ut ajunt, antiquitùs commorabantur, usque ad viridarium Hospitalis Novi palm. 600. excedit. Demùm ad Meridiem ex prædicto viridario reductâ lineâ ante faciem ejusdem hospitalis ad supradictum Oratorium D. Rocchi, longitudinem palmor. 1042. explet; adeòque tota area, demptâ etiam plateâ non exiguâ ejusdem Cæmeterii, excurrit in gyrum palm. 3000., & ampliùs; eâ verò computatâ ferè palm. 4000. tota area in gyrum decurret.

Tab. 3

Ichnographia Basilcæ Pisanæ



10 20 30

Scala cubit: Florentin

Camillus Rainerius Burghius delin. Pisis — *D: M: Franceschini Scul.*

De Origine ac Situ Basilicæ.

CAPUT III.

Is brevitèr expositis, ad ipsius Basilicæ originem una cum situ perlustrandam, properemus. Itaque circà annum à Virginis Partu 1063. subacta pluribus in locis, & præcipuè in munitissima Panormi Civitate Barbarorum potentia, spoliis onusti Pisani Cives patriam versùs iter arripuerunt, ubi peractis solemnitèr gratiis Deo O. M. Sanctissimæque ejus Genitrici in Cœlum Assumptæ, quam in Patronam elegerant, Templum ex supradictis spoliis construendum curarunt; eodemque anno, eo, quem supra descripsimus in loco Basilicæ fundamenta feliciter jacta sunt, ut patet ex his, quæ subiicio carminibus in ejusdem Templi fronte exculptis.

Anno, quo Christus de Virgine natus, ab illo
Transierant mille decies sex, tresque subindè,
Pisani Cives celebri virtute potentes
Istius Ecclesiæ primordia dantur in esse
Anno quo Siculas est stolus factus ad oras
Quo simul armati cum multa Classe profecti
Omnes majores, medii, pariterque minores
Intendere viam primum sub sorte Panormum
Intrantes rupta portum pugnando catena
Sex capiunt magnas Naves, opibusque repletas
Unam vendentes, reliquas prius igne cremãtes,
Quo prætio muros constat hos esse levatos.
Post hinc digressi parum, terraque potiti
Qua fluvii cursum mare sentit Solis ad ortum,
Mox Equitum turba peditũ comitante caterva
Armis accingunt sese, Classemque relinquunt,
Invadunt hostes contra sine mora furantes.
Sed prior incursus mutans discrimina casus
Istos victores, illos dedit esse fugaces
Quos Cives isti ferientes vulnere tristi
Plurima præportis straverunt millia morti,
Conversique cito tentoria littore figunt
Ignibus, & ferro vastantes omnia circum
Victores victis sic facta cæde relictis.
Incolumes multo Pisas rediere Triumpho.

Supradictæ Basilicæ præclarus artifex fuit Bruschettus natione Græcus, proùt patet ex seqq. inscriptionibus suprà ejus tumulum positis, aliqua tamen sui parte corrosis, ac lectu difficillimis.

Bruschettus . . . . . jacet hic . . . ingeniorum
Dulichio . . . . . . prevaluisse Duci
Menibus Iliacis cautus dedit ille ruinam
Hujus ab arte viri mænia mira vides
Calliditate sua nocuit Dux ingeniosus
Utilis iste fuit calliditate sua
Nigra Domus Labyrintus erat tuà Dedale Laus est
At sua Bruschettũ splendida templa probãt
Non habet exemplũ celsum de marmore templũ
Quod sit Bruschetti prorsus ab ingenio
Res tibi commissas templi cum læderet hostis
Providus arte sui fortior arte fuit
Molis & immensæ pelagi quas traxit ab imo
Fama Columnarum tollit ad astra Virum
Explendis à fine decem de mense diebus
Septembris gaudens deserit exilium.

In alia hæc inspiciuntur carmina.

Quod vix mille boum possent juga juncta movere
Et quod vix potuit per mare ferre ratis
Bruschetti nisu quod erat mirabile visu
Dena puellorum turba levavit onus.

Quo ejusdem magnifici templi situs, quoad fieri potest magis perspicuè intelligatur illius Ichnographiam cum mensuris exhibeo, ut in tab. signat. n. 3. ex qua etiam non obscurè cognoscitur eadem Ecclesia juxta regulas antiquarum Basilicarum ferè in totum efformata, sive Basilicas respicias à Gentilibus constructas, sivè illas, quas prisci Christi-fideles ædificarunt. Præmisso igitur, quod omnes asserunt Scriptores, Basilicam à Græca voce Βασιλικὴ derivari, quæ Regiam denotat, cum Βασιλεὺς Regem, sivè Imperatorem significet. A principio, ut inquit

eruditissimus Ciampinius lib. 1. vet. mon. fol. 7. Basilicæ eo consilio à Romanis edificatæ fuere, ut populus in eis ad jus dicendum convenire posset. Illarum forma, ut plurimum, sic erat. Cingebantur porticibus concameratis ex coaxatis contignationibus immissis in parastata columnis, aut pilis adjunctis, superque contignationem altera erat, & superior porticus, cujus tectum testudinatum aliis postibus, parastatis, & arctariis sustinebatur. Medium spatium, & quasi superior porticus pluteus vocabatur, qui in utrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Parastatæ verò duplæ erant ad rectitudinem porticus, sicut & Columnæ perpetuò Scaporum ductu ad Basilicæ latitudinem. Solebant enim in eisdem quatuor adesse Tribunalia, in quibus stabant Oratores, ac in orbem Judices. Duæ aderant porticus inferior, ac superior. In inferiori Judices, Advocati, ac aliorum litigantium turba, & si locus vacabat, Mercatores ibidem, ac Nummularii negotiari cæperunt. In superiori verò ex una parte Fœminæ, ex alia Viri, qui judiciis intererant, stare consueverunt, ut videre, & jusdicentes audire possent. Locus verò, ubi Tribunalia stabant hemicycli formam retinebat, quare ab ipso Tribunali Tribunæ nomen sortitus est, qui etiam ab aliquibus Absida dictus fuit, de qua voce S. Paulinus in Epist. 12. ad Severum, & Isidorus lib. 15. c. 8. Absida (inquit) Græco sermone, latinè interpretatur lucida, eo quod accepto lumine per arcum resplendeat. Harum Basilicarum Iconismum refert Spanhemius expressum in quodam Numismate, ubi visitur Basilica Æmilia. Postmodum veteres Christifideles in ædificiis construendis Gentilium imitatores ad eorum similitudinem Sacra Templa erigebant, vel ab Ethnicis jam erecta ab omni profanæ superstitionis labe expiata, divinos in usus aptabant, ut innuit Ausonius in gratiarum actione pro consulatu. *Basilicæ olim negotiis plenæ nunc votis pro tua salute susceptis*; & Isidorus Origin. lib. 5. *Basilicæ prius vocabantur Regum habitacula, nunc autem ideò Basilicæ Divina Templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & Sacrificia offeruntur.* Quæ verò Basilicæ noviter ab eisdem Priscis Christifidelibus construebantur quatuor, ut refert eruditissimus Capassutius not. Eccles. fol. mihi 40. præcipuis partibus constabant. Harum prima quæ ingressuris obvia erat græcè Πρόναον latinè vestibulum, seù porticus dicebatur, atque pro foribus Ecclesiæ structa erat; secunda pars græcè ναῦς latinè Navis, seù gremium nominabatur. Huc Populus ad divina officia conveniebat. Verùm pars hæc aliquibus in Basilicis non una, sed tribus, ac pluribus Navibus distinguebatur, proùt videre est Romæ in pluribus veterum Christianorum Sacris Ædibus: Quinimò in aliquibus non unica, sed duplex porticus ad prædictarum Ethnicorum Basilicarum similitudinem, inverso tamen ordine cum intus sit, extructa erat, ut in Basilicis S. Agnetis extra Urbis mænia, & S. Laurentii in agro Verano. Tertia pars aliquot gradibus supra Navim assurgens græcè dicebatur ἄμβων deducta voce ab ἀναβαίνειν quod est ascendere, latinè verò chorus, vel sugestum nominabatur, qui tamen locus juxta nonnullorum sententiam à choro sejunctus est. Quarta denique pars græcè Ἱερατεῖον Ἱερὸν Βῆμα latinè sanctuarium dicebatur. Hujus in medio situm erat sub tabernaculo Altare primarium, ad quod Sacerdos Sacrum celebrans stabat facie ad populum versa; quo etiam situ Romæ visuntur Altaria præcipua, nimirum Basilicarum præecellentium Lateranensis, D. Petri in Vaticano, D. Pauli, & Liberianæ, & aliarum plurium Ecclesiarum. Hujusmodi locus erat in speciem quadratam columnis sublimibus undiquè circumseptus, quarum media erant interstitiis ex ligno instar retis circumclusa, ut loquitur Eusebius Cæsariensis libro 10. Historiarum Ecclesiastic. capit. 4. Aderat insuper Tribuna, ubi per interiorem circuitum dispositæ erant exhedræ atque his editior Cathedra Episcopalis in medio, atque intimo hemicyclo assurgebat. Harum Basilicarum partes ferè omnes cernuntur, ut diximus, in Basilica Pisana. In ea enim quoad Basilicarum Ethnicorum,


rum, seù Gentilium formam reperitur Tribuna; duplex porticus inferior, & superior inverso tamen ordine cum intùs sint, visitur medium spatium; & quamvis exteriùs minimè cingatur porticibus, cingitur tamen duplici parastatarum, seù stylobatarum ordine eorumdem porticuum exteriorum formam præseferente, ut ex eadem Orthographica tab. sign. n. 4. cognosces. Quo verò ad Basilicarum à priscis Fidelibus extructarum dispositionem pariter omnes ferè illarum partes in eadem Basilica Pisana continentur. Reperitur enim vestibulum, non tamen clausum, vel tecto coopertum, proùt notatur in Ichographica Tabula litt. G. Adest Navis media, ut notatur lit. A., reperitur locus supra Navim aliquot gradibus assurgens signatus lit. A. cum stellula, nec non, ultra Tribunam signatam lit. C. cernitur sanctuarium, ac Sanctum Altare, ubi divina Mysteria, & Sacrificium celebrantur, proùt ex eadem Ichographica tabula cognoscitur. Notandum tamen hic est, quod hæc nostra Tribuna ut plurimum pro Vestiario, vulgò *spogliatorio* inseruit; & in ipsius intimo hemicyclo Sedes Archiepiscopalis non reperitur cum illa propè parietem in Cornu Evangelii Aræ Maximæ Populum respicientis assurgat, proùt liquet ex eadem superiùs relata ichnographica Tabula. Constat insuper Basilica Pisana octo Navibus, quinque nimirum in longum, ac tribus transversalibus in formam Crucis dispositis; videlicet Navi media signata lit. A. Navi transversa signata lit. B. Quatuor navibus mediis minoribus signatis litt. D. E: duabus aliis Navibus transversis signatis litt. F. Et quidem Navis media A. usque ad Absidem, seù Tribunam signata litt. C. producta veluti Crucis hastam efformat; Brachia verò Crucis Navis transversa B. exprimit. Quatuor aliæ D. E. mediæ majori Navi hinc inde dispositæ conjunguntur; Aliæ duæ F. pariter Navi transversæ connectuntur, prout ex eadem planta litteris notata apertissimè liquet; Ac jure quidem meritò eadem Ecclesia in formam Crucis redacta fuit ut in ipsamet etiam Ecclesiæ constructione Passionis Domini Nostri Jesu Christi memoria recoleretur. Porrò hujus Basilicæ Frons Occidentem respicit; Tribuna verò Orientem, quod minimè videtur peractum juxta regulas antiquarum Basilicarum, quarum Tribunæ ad Occidentem; facies verò juxta sententiam Divi Clementis Papæ & Martyris lib. 1. constit. cap. 6. ad Orientem vergebant. Verùm id contigisse nonnulli putant, ut Christi-fidelium abusus se se ad Orientalem plagam vertendi faciliùs tolleretur; Antiqui enim fideles, antequam Basilicas ingrederentur, ad Orientalem plagam conversi, Solem adorabant (quippè Sol oriens summo mane Basilicarum faciem respiciebat) Manichæorum morem quodammodo sectantes, qui hujusmodi prophanum ritum servant, licet fideles Solem adorando nascentem, Christum adorare, præsertim Natalis Domini die existimarent, quod graviter ferebat Sanctus Leo, prout ipse testatur serm. 7. de Nativ. cap. 4. his verbis (quod nonnulli etiam Christiani adeò se religiosè facere putarent, ut priusquam ad Beati Apostoli Basilicam, quæ uni Deo Vivo, & Vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad Suggestum areæ superioris ascenditur converso corpore ad nascentem se solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem se Planetarum Regis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis Spiritu multum tabescimus & dolemus). Non tamen prohibere voluit sapientissimus ille Pontifex precationem fieri à fidelibus Orientem respicientibus; sciebat enim Priscorum Patrum dicta, sed volebat pravum Manichæorum ritum avertere, & idololatriæ suspicionem. Unde non mirum, si in atrio D. Petri, proùt refert eruditissimus Casalius de veter. sac. Christ. ritu cap. 3. fuerit posita à Card. Stefanesco illa mirabilis Jotti pictura musivo opere compacta ad evertendam omnem Idololatriæ suspicionem, eo quod sibi suasit ritum vertendi se ad Orientem fuisse observatum fortasse ob majorem plurium commoditatem in Atrio Sancti Petri, & in eadem Sententia fuit Severanus pag. 55. ubi sic ait Italico sermone: *Dicono che fosse posta in*

in quel luogo, perche erano soliti quelli, che venivano à San Pietro, quando havevano salite le scale entrando nell'atrio rivoltarsi, e far oratione verso l'Oriente; e perche ciò pareva superstitione, si procurò far dipingere quella Navicella con l'imagine di Nostro Signore, acciò voltandosi verso quella parte se li rappresentasse il vero Oriente, che doveva essere adorato. Quod videtur confirmare idem Baronius, qui refert morem illum convertendi se ad solis ortum observatum quoque suis fuisse temporibus. Perseverat, inquit ipse, adhuc (intellige anno circiter 1600., quo Baronius scribebat) Imago illa veneranda Salvatoris stantis, & introeuntes benedicentis, habens à dextero latere Imaginem Sancti Pauli, à sinistris Imaginem Sancti Petri omnes ex musivo antiquitas efformatas; perseverat adhuc usus ille antiquus, ut qui ingreditur dictum atrium, quod ut diximus (Paradisus ante vocabatur) genuflectens Orientem versùs oret, non ut solem adoret Orientem, sed ut ab eo, qui repræsentatur in Imagine benedicente ab ipso, inquam Salvatore benedictionem accipiant: Hactenus Baronius: Proindeque cum Basilicæ Pisanæ Tribuna ad Orientem fuerit conversa; fideles superatis gradibus Ecclesiæ non audebant sese vertere, quippe qui respiciebant Occidentem; sed recto tramite Ecclesiam ingressi Tribunam, & Sancta Sanctorum versùs progrediebantur, ut Christum Dominum adorarent, cujus Imago in eadem Tribuna cernitur manu dextera ingredientem benedicens, ac altera manu ostendit se verum esse solem, ac lucem Mundi, siquidem eâdem sinistrâ manu librum tenet, ubi hæc verba inscripta visuntur -- *Ego sum lux Mundi* --; Atque adeo idem Populus orientem versùs uti cupiebat semper orabat sacras cæremonias, ac Sacerdotem ad Orientalem plagam Sacra celebrantem clariùs prospiciebat. Alii verò id etiam contigisse autumant, ex quo prædictus architectus Bruschettus utpote natione Græcus, fortasse in ejusdem Absidis, seu Tribunæ ædificatione exemplar sumpserit ex augustissimo, ac celeberrimo templo Sanctæ Sophiæ, seu Divinæ Sapientiæ in Urbe Constantinopolitana extructo, ut colligi potest ex Ichnographica tabula ejusdem Ædis Sophianæ relata ab eruditissimo du Fresne domino du Cange in sua Constantinop. Christ. lib. 3. pag. mihi 1. & 5. ubi fusè illam, illiusque partes, & Ichnographiam, necnon interiorem, exterioremque prospectum exhibet; Illa siquidem Sophiana Basilica, etsi ad formam dromicam, idest quadratam, seu oblongiorem, ita δρομικὸν vocem plerique scriptores accipiendam censent, contracta sit; tamen Tribunam, vel Absidem ad Orientalem plagam versam habet. Hujus etiam Constantinopolitanæ Basilicæ Bema, nempe locus, qui cancellis à Nao dividitur græcè βῆμα latinè presbyterium nuncupatum non multum differt à Pisano, ut in prædicta Tabula Du Cange inspicitur. Item hac in nostra Pisana Basilica quatuor Pilis, seu parastatis, quas structiles columnas vocat Ulpianus, suffulciuntur arcus quibus incumbit Tholus. Arcus quoque Orientalis, & Occidentalis imminent aperti, & vacui adeòut sub ipsis nihil substructum reperiatur; Septentrionalis, & Meridionalis non visuntur, vel suppositum habent parietem duplici columnarum ordine, nimirum inferiori columnis, superiori columnellis, ubi sunt porticus, ut in eadem Æde Sophiana, suffultum prout in sequentibus tabulis V. & VII. cognoscitur

Quo verò ad Basilicæ mensuram, hæc, prout ex eâdem plantâ colligitur, sumpta à limine Januæ mediæ, seu Regiæ signata litt. A. usque ad absidem, seu Tribunam, signat. litt. C. est palmorum circiter 415. demptis parietibus. Latitudo Medianæ Navis est palmorum 55. Latitudo verò totius Corporis Ecclesiæ sumpta à pariete extremæ Navis mediæ litt. D. usque ad alium parietem alterius navis extremæ litt. D. palmorum circiter 145. Longitudo transversæ Navis signat. litt. B. excurrit ad palmos 320., latitudo verò, aliis duabus sibi annexis Navibus compræhensis, palm. 75. excedit. Atrii latitudo est palm. 40. latitudo areolæ circa totam

totam Ecclesiam super gradus existentis est palm. 20. Universa verò area totius Basilicæ, compræhensis muris, vestibulo, areolis, & gradibus protenditur in gyrum palm. 1780. & ampliùs.

Hìc obiter Lectorem monendum duximus palmorum, & cubitorum scalas sex mensuras ære incisas fideliter cum suo originali correspondere; easdem verò typis impressas ob madefacti, ac postmodum desicati papyri contractionem aliquam alterationem includere.



Orthographia Basilicæ Pisanæ

Ioseph. et Franciscus de Milanis fr. delin. Pisis

Dominic. Marianus Franceschini sculp. Romæ sup. perm.

De Muris, Tholo, ac extrinsecis Ornamentis.

CAPUT IV.

D Templi externi latus oculos conversuri Tabulam ejusdem lateris in ęregraphicè delineati exhibuimus, in qua appicti numeri ad brevem enarrationem viam aperient; proindèque sub. n. 1. indicantur.

Muri albo ex marmore lineis cæruleis distincto Basilicę universam aream ambientes.

2. Sedilia marmorea totam Ecclesiam circumdantia.

3. Primus parastatarum ordo, ubi interpositæ visuntur fenestræ majores, per quas lumen minores naves irradiat, ferreis cancellis munitæ. Ibidemque visuntur plura ornamenta variis lapillis eleganter elaborata.

4. Parastatæ minores marmoreæ secundi ordinis, quem dicunt Atticum, ubi reperiuntur fenestræ minores, quæ illuminant Naves, vel porticus superiores.

5. Tectum plumbeis laminis stratum supra Naves minores, ubi sunt scalæ, per quas itur ad alias internas scalas interioribus arcubus inhærentes.

6. Alter columnarum ordo Corinthiis regulis efformatus, ubi varia interjecta lapillorum cernuntur ornamenta, ac patent fenestræ, quæ illuminant partem superiorem medianæ Navis propè laqueare.

7. Tectum supra Navim majorem laminis plumbeis coopertum, ubi sunt scalæ, per quas ascenditur ad Tholum.

8. Simulacrum Beatissimæ Virginis marmoreum sedulò expressum.

9. Tholus ovatus laminis plumbeis tectus. In hujus Timpani coronide circumstant 88. columnæ marmoreæ, quibus incumbunt arcus varia marmorea ornamenta sustinentes non invenuste exculpta.

10. Æneum animal quatuor similes pedes habens, cujus caput, & alæ veluti Aquilæ volantis; corpus verò nonnullis maculis coopertum. De hoc alii alia referunt; siquidem alii Draconem appellant; alii Grypem; alii animal Apocalipseos, nimirum illud simile Aquilæ volanti, oculisque plenum à D. Joanne in eâdem Apolypsi cap. 4. relatum: Huic postremæ opinioni videntur favere vultus Leonis propè cuspidem tecti prominens; vultus Hominis juxtà parastatam anguli propè Tribunam erectus; ac Vituli caput ex altera parastata erumpens. Porrò de hoc animali tam scio, quam qui penitùs nesciunt; nihil reperire licuit inter animantium genera. Verùm, ut studio, & Lectoris curiositati indulgeam, illud ære incidendum curavi, ut in tabula 4. 5. & 7. & quid sit suo pro arbitratu judicet.

11. Tribunæ majoris pars exterior duobus ambulacris exornata, quorum alterum præbet faciliorem aditum externum ex una parte Basilicæ ad aliam. Arcus columnarum hoc in loco affabrè elaborati sunt; earundemque columnarum marmor pulcherrimum; nàm aliæ è Porphyretico; aliæ è variegato; aliæ è cinericio Graniti Orientalis lapide caniculis in formam cochleæ striato conflantur.

12. Tribunæ minoris brachii Ecclesiæ pars exterior.

13. Vas marmoreum supra columnam prominens. Hoc ajunt quamdam census mensuram fuisse; Non pauci tamen aliter sentiunt, dum Ossuariam,

seu

ſeu cinerariam Veterum Gentilium Urnam eſſe putant Piſas, inter cætera eorumdem Veterum Sepulcra translatam. Horum opinioni ſuffragantur duæ proceræ, immaneſque Urbis columnæ, quarum altera Trajani; altera vero Marci Aurelii Antonini indigitatur; In harum ſiquidem ſummitate prædictorum Imperatorum cineres olim in Urnis extitiſſe referunt. Item adſtipulatur Auguſti Veſpaſiani Numiſma in Farneſiano Muſæo aſſervatum, de quo P. Paulus Pedruſi Societ. Jeſu tom. 2. pag. mihi 295. Italico idiomate hæc habet -- *Rappreſenta queſto dritto la teſta laureata di Veſpaſiano col titolo Divus Auguſtus Veſpaſianus nella parte oppoſta veggonſi due rami d'alloro, e nel mezzo una colonna, alla quale ſtà appoggiato un clipeo con caratteri indicanti il Conſulto del Senato, e di ſopra ſtà impreſſa a mio credere un Urna.* Ac deinde ſubjungit. *Qui appoggiano le glorie della colonna ſcelta per ſimbolo ſignificante appunto gl'onori ſupremi decretati al perſonaggio, che ſi vuole elevato ſopra l'ordinaria conditione degl'Uomini; e queſto pregio in fatti era attribuito dagl'antichi alla colonna: In ſepulchris verò, neque non monumentis reliquis columnarum ratio fuit, ut cuius nomini dicatæ eſſent ſupra cæteros mortales attollerentur &c. in quanto all'Urna penſo ſii indicante quella, in cui furno raccolte le ceneri di queſto Prencipe eſtratte dal rogo della di lui Apoteoſi. Coſtumavano gl'Antichi raccogliere le ceneri, ò pure l'oſſa de defonti entro l'Urne, e quella che rachiudeva le ceneri dicevaſi Cineraria à differenza dell'altra, che appellavaſi Urna Oſſuaria: Ovidio* lib. 3. eleg. 3. *fa mentione dell'una*

Oſſa tamen facito parva referantur in Urna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

E Propertio lib. 2. eleg. 13. *dell'altra.*

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiet manes parvula teſta meos.

In hujus vaſis ſuperficie priſcæ Gentilitatis baccanalia, ſeu potius conviviorum ſolemnium ritus in gyrum exprimuntur. Ibi cernitur Senex herus cum veſte cęnatoria, vel ſindone ſuper nudo in actu ſoleas deponendi jam jam, ni fallor, accubiturus inſervientibus pueris; ibique viſuntur Juvenes ſaltantes, ſaltatrices, Coqui cum Mimis, ibidemque Tibicen geminas tibias ori inſertas inflat ad ſimilitudinem illius Romæ in viridario olim Em. Cardinalis Montalti in quodam vetuſto lapide inſculpti. Vetuſta ſiquidem Romana Gentilitas in Conviviis, bello, Nuptiis, Choreis, Sacrificiis, Ludis, Funeribus, & Luctu tibiis utebatur. De prædictis Conviviis parvam iconem exhibet Gaſpar Bartholinus lib. de Tib. Vet. cap. 13. ubi Caſalium, Plautum, & alios auctores de hiſce ſolemnibus epulis pertractantes indicat. Præmemoratam verò Urnam nonnulli Antiquitatis amatores hoc loci poſitam in ſubactæ Gentilitatis monumentum arbitrantur.

14 Sepulcrum marmoreum Beatricis Matris Comitiſſæ Mathildis, cujus inſcriptio ita habet:

Anno Domini MC.XVI. IX. Kal. Auguſti obiit D. Matilda fel. mem. Comitiſſa, quæ pro anima Genitricis Suæ Beatricis Comitiſſæ Venerabilis in hac Tumba honorabili quieſcientis in multis partibus mirifice hanc dotavit Eccleſiam, quarum animæ rtquieſcant in pace. † Ann. Dñi M. CCCIII. ſub digniſſimo Operario Burgundio Tadi occaſione graduum fiendorum per ipſum circa Eccleſiam ſupradicta Tumba Superius notata bis translata fuit, tunc de ſedibus primis in Eccleſiam, nunc de Eccleſia in hunc locum ut cernitis excellentem.

Olim

Olim in ejusdem Beatricis Comitissæ tumulo hujusmodi epigraphe reperiebatur.

Quamvis Peccatrix sum Domna vocata Beatrix
In tumulo missa iaceo quæ Comitissa.

Verum ubinam fuerint præmemoratæ tumbæ primæ sedes penitus ignoratur; opinor tamen illas prope externum ipsius Basilicæ parietem extitisse, ubi & alia sepulcralia Fidelium monumenta sub arcubus, exteriores porticus, de quibus pag. 9. col. 1. præseferentibus, expressa sunt. Antiquitus enim Fideles intra Ecclesiam non sepeliebantur, sed in cæmeterio, vel sub arcubus exterioribus Ecclesiæ; Siquidem in Ecclesia prohibebatur fieri sepultura, ex quo locus ille specialiter Deo dedicatus est, ac ibidem Corpus, & Sanguis Domini conficitur, ut in can. 15. 13. q. 2. De quo etiam Dominicus Macrus in Hierolexic. verb. cæmeterium; ac in notit. verb. Eccles. pagin. mihi 135. sub eodem verbo hæc habet. *Era in quei primi secoli della nascente Chiesa con severissimo divieto interdetto il sepellire in Chiesa, come si raccoglie da molti Concilii, Canoni, e Santi Padri; e oggi si osserva tanto da Christiani in Oriente, sepellendo i morti fuori delle Cittadi in alcuni Cimiterii. Onde di Costantino il Magno leggiamo, che per privilegio singolare fosse sepolto nella soglia della Chiesa, qual gratia fù anco concessa ad altri Imperatori. Et in Roma si veggono molte sepolture di gran Personaggi nelli portici delle Chiese, come anco in Gerusalemme al presente nel portico della Chiesa del Santo Sepolcro durano le tombe degl'Invitti Regi Franchi, che liberarono quella Città dalle mani degl'infedeli.*

Haud procul in suo loculamento visitur marmoreum Davidis citharam tangentis simulacrum, quod ex Orientalibus plagis adductum dicitur; Hoc loci positum illud arbitror, ut Basilicam ingredientes læto corde ad illius exemplum Altissimo preces effundant.

15 Gradus marmorei circa totam Ecclesiam excurrentes, de quibus in sequenti capite.

Hîc obitèr notanda sunt nonnulla veterum Gentilium verba in eadem exteriori Basilicæ parte sculpta, nimirum. RERI. SAC. AVG. LIB. ACTE. quæ videntur significare *Cereri Sacrum Augusti liberta Acte*; Hujusmodi Saxi fragmentum fortasse fuit è veteri Cereris templo erutum. Acte liberta forsitan fuit illa famosa, ut inquit memoratus Norisius in præcit. Cenotaph. diss. 3. pag. mihi 363. Neronis amoribus Liberta, de qua plura Tacitus lib. 13. & Svetonius cap. 28. in Nerone. *Actem libertam*, inquit, *paullum abfuit, quin iusto matrimonio sibi coniungeret submissis consularibus viris, qui regio genere ortam peierarent*. Nùm ipsa Acte suis impensis ædem Pisis Cereri extruendam curaverit, an quispiam alter, ignoro; neque ausim affirmare uti certum Neronis libertam ibidem designari, cum eo nomine diversorum Cæsarum libertæ nuncupatæ fuerint.

Aliæ occurrunt ejusdem Gentilitatis inscriptiones etsi ab artificibus dissectæ, superiori tamen clariores; & Sunt hæ – (IMP. CAESAR) – (IMP. CAESARI. DIVI HADRIANI. FIL. DIVI TRAIANI NE. PARTH.) – (I. TRA.) – (T. AELIO HADRIANO ANTONINO AVGVS. PIO. PONT. MAX. TRIB. POTES. III. COS. III. PP. INDVLGENTIS.)

Hoc est

(IMPERATORI CAESARI) – (IMPERATORI CAESARI. DIVI HADRIANI FILIO DIVI TRAIANI NEPOTI

POTI PARTHICO)-(IMPERATORI TRAIANO) – (TITO AELIO HADRIANO . ANTONINO. AVGVSTO, PIO. PONTIFICI . MAXIMO , TRIBVNITIA POTESTATE . III. CONSVLI. III. PATRI.PATRIAE INDVLGENTISSIMO. Alia non pauca lapidum fragmenta ibidem visuntur obscurioribus, ac semifractis nominibus inscripta; quæ ex eorundem Imperatorum Thermarum, vel aliorum ædificiorum ruinis illùc deportata suspicor.

Præter allatas inscriptiones ac lapidum fragmenta in eodem externo Basilicę latere propè januam lateralem in sedilibus marmoreis; nec non in aliis propè Regiam Januam prominent varia Hominum, ac belluarum capita. Hæ nimirum animalium figuræ vel fuerunt ad simplicem ornatum expressæ, vel Veterum, ni fallor, ædificiorum extiterunt ornamenta, quorum nonnulla adhuc videntur Romæ in Foro Boario; Antiquitas enim consuevit animalium effigies ad ornatum ædificiorum exculpere. Alia verò hominum capita, si divinare liceat, subactorum Saracenorum præseferunt imagines; nam supralaudatus Busckettus veterum in arte architectonica peritorum imitator Templum hoc, ut opinor, Barbarorum devictorum etiàm figuris exornandum duxit, ut in externis etiam Basilicæ sedilibus Pisanæ Civitatis illustria virtutum monimenta exprimerentur. Veteres quippè Architectos notum est consuevisse publica ædificia devictorum hostium figuris ornare, & docet ipsemet Vitruvius lib. 1. cap. 1. ubi pro columnis erecta fuisse ait marmorea simulacra, quæ Matronas Caryathides in servitutem redactas repræsentarent; similitèrque debellatorum Persarum statuis à Lacedemoniis victoribus porticus exornatas, ut indè hostes Victorum fortitudinem magis pertimescerent; ac Victores virtutum exempla intuentes ad Patriæ decus, splendoremque conservandum majores animos consequerentur. Qui mos indè ad Romanos transiit, adeoque invaluit, ut non in arcubus modo triumphalibus, prout nonnulli in Urbe adhuc extantes fidem faciunt, sed etiam in Basilicis ad parietum ornatum, & decus triumphantium Victorum, ac subactorum hostium imagines, & spolia ponerentur, ut olim cernebatur Romæ in Basilicæ Sicinianæ parietibus, de quibus præmemoratus Ciampinius d. lib. 1. Vet. Mon. cap. 7. ubi & iconem habebis.

De

De Scalis.


CAPUT V.

NUnc de Scalis, seù gradibus, per quas ad Basilicam ascenditur aliquid dicamus. Eas itaque circà annum 1300. fabricatas fuisse constat, juxta Veterum morem, qui Basilicas in excelso, ut plurimum, loco collocabant, ut ostendit Panvinius de septem Urbis Ecclesiis pag. 39. ubi Quintum Catulum, inquit, in Capitolii restitutione voluisse aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderent, suggestusque Templi Jovi dicati pro fastigii magnitudine altior fieret; & idem Panvinius refert etiam à Constantino Imperatore Schalas, per quas ad Basilicam Divi Petri ascenderetur fabricatas fuisse, his verbis, *Gradus marmoreos ante Basilicam fecit Constantinus.* Ac sanè in constructione Templi, ut observat Vitruvius lib. 3. cap. 2. gradus sunt apponendi tamquam pars necessaria; Quod non parùm facit ad majestatem, & dignitatem Templi, si à cætero Urbis solo extat. Undè optimo quidem jure fuerunt constructi marmorei gradus, non solùm antè faciem ipsius Basilicæ Pisanæ; verùm etiàm circa totam eamdem Ecclesiam, adeò ut ipsa tota videatur posita supra aream ab ima Telluris planitiè pluribus notabilibus gradibus marmoreis elevata, ad quam per eosdem gradus undique conscenderetur.

Gradus, per quos ascenditur ad aream sunt numero quinque, vel quia Architecti in gradum distributione, ut docet præmemoratus Vitruvius dict. cap. 2. imparem numerum observent; vel quia hujusmodi numerus quinquenarius, cum quinque Corporis sensibus respondeat, ut nos moneret omnibus viribus, Mentis, & Corporis ad Deum elatis, in Templum ascendere debere. Omnes deniquè gradus, ut annuimus, in gyrum palm. 1780. excurrunt. Areola circa totam Ecclesiam, quæ gradibus imminet, ut diximus, est latitudinis palm. 20. magnis quadratis marmoreis lapidibus albis strata, ac lineis marmoreis croceis elegantèr distincta, supra quam passim fiunt supplicationes, plerumque populi parte in planitie comitante.



Tab. 5



Scenographia Lateris interni Basilicæ Pisanæ

Dominic. Marianus Franceschini Sculp. Romæ Sup. perm.

De Partibus Interioribus.

CAPUT VI.

ASILICÆ latere externo inspecto, partem interiorem adeamus; & ut ea, quę ab imo pavimento usque ad apicem tecti in illa comprehenduntur magis perspicuè intelligantur, Scenographiam in proximâ Tab. sub n. 5. inspiciamus. Assurgunt in eâ, ut annuimus, Naves octo, quarum sex, nimirùm illæ, quæ medianæ majori Navi propinquæ sunt, nec non aliæ duæ, quæ Navi majori transversæ connectuntur altitudine palmos 60. explent; Aliæ verò duæ majores, nempè Mediana, & Transsversalis eandem mensuram multò longiùs excedunt. Siquidèm medianæ Navis altitudo à pavimento usque ad culmen tecti est palm. 165., Tranversalis verò sumpta mensura paritèr à pavimento usque ad culmen tecti protenditur in palm. 145. & ultrà, ut ex præmemorata Tabula 4. & ex sequenti signata n. 6. clariùs cognosces. De latitudine dictum est supra pag. 10., observandum tamen est, quod Naves medianæ minores in parte Boreali sunt latitudine majores, quàm aliæ in opposita parte Australi, quod etiam inspicitur pluribus in aliis vetustis Pisanæ Civitatis Ecclesiis; Verùm, cum hæc amplitudo in Navibus Borealibus omnibus in veteribus Ecclesiis minimè cernatur, indè colligi potest, hujusmodi Navium discrepantiam non datâ operâ, sed ex vario construendi usu contigisse. Quo verò ad Navium structuram, hanc adhibitam existimo pro Mulierum à Viris divisione, proùt notat laudatus Baronius in apparatu ad annal. Eccles. n. 52. ac in annal. ad annum 57. n. 123. & seq. ubi ostendit veterem ac laudabilem morem, qui diù in Ecclesiâ permansit, ut seorsìm à Viris Feminæ convenirent in Ecclesiâ, nec non disjunctim Virgines ab aliis orantes persisterent.

Hanc quoque Fæminarum à Viris in Ecclesiis segregationem refert Amalarius, qui floruit in principio noni sæculi lib. 3. cap. 2. de Ecclesiaſ. off. ubi hæc haber; *In Conventu Ecclesiastico seorsùm Masculi, & seorsùm fæminæ stant, quod accepimus ex veteri consuetudine &c.* & infrà: *Masculi stant in Australi parte, & Fæminæ in Boreali, ut ostendatur per fortiorem sexum, firmiores Sanctos semper constitui in maioribus tentationibus æstus huius mundi, & per fragiliorem sexum infirmiores Sanctos.*

Mos iste etiàm deducitur ex Pontificali libro in Simmachi vitâ, *qui fecit Oratorium S. Crucis à parte Virorum*; & in vita Sergii I. *hic fecit Imaginem auream B. Petri Apostoli, quæ est in parte Mulierum*, & in Gregorio III. *hic fecit Oratorium intrà Basilicam S. Petri iuxtà arcum triumphalem in parte virorum.*

Hodiè verò hæc nunquàm satìs laudata consuetudo obsolevit, ac solummodò tempore Adventus, & Quadragesimæ fit quoddam septum in audiendis Sacris Concionibus Mulierum stationem à Viris dirimens, quod etiamnùm Navis nomine appellatur. Hac tamen in Basilica unicâ vice singulis annis Mulieres utuntur pervetusto suarum Navium loco. Siquidèm post dimidium quadragesimæ fit conventus Generalis ad sumendam Sacram Eucharistiam, & seorsùm Masculi, ac seorsìm Fæminæ persistunt; Masculi stant, ut superiùs annuimus, in Australi parte; Fæminæ verò in Boreali sequenti

ordine servato. In mediana majori Navi attollitur magnificus Thronus, sub quo ara erigitur pro Augustissimo Corpore D. N. Jesu Christi fidelibus distribuendo. Antè supradictam aram in longum locantur magna argentea candelabra. Propè columnas ejusdem majoris medianæ Navis tàm ex latere Boreali, quàm Australi apponuntur scamna linteis de more cooperta, ac in gyrum usquè ad dimidium ipsius medianæ Navis majoris disposita; reliquum enìm ejusdem Navis majoris spatium est occlusum ligneo septo Fæminas à Viris dividente. Undè cum Naves minores utrâque ex parte remaneant liberæ, & vacuæ, illæ, quę ad Aquilonem tendunt etiàm hodiè, ut antiquitùs, Mulieribus conceduntur; illæ verò, quæ ad Meridiem vergunt Viris assignantur. Utraque ex parte pro audiendis sacris confessionibus assurgunt Tribunalia; In parte Fæminarum solummodo pro Fæminis, in parte Virorum dumtaxat pto Viris; adeoque Viri, ac Fæminæ seorsìm post Sacramentalem Confessionem ad scamna supradicta se se conferunt, ac devotè Sacro Pane reficiuntur.

Sed ad Ecclesiæ enarrationem, undè brevi digressione discessimus, redeamus: sex igitur columnarum ordinibus distinguntur supradictæ Naves; hac tamen cum varietate, quod medianę Navis columnę sunt numero vigintiquatuor, exceptis quatuor parastatis, ac fere omnes ex numidico marmore constant. Harum quælibet cum basi, & capite Corinthiis regulis efformato ferè palmos in longitudine 46. in crassitie palmos tresdecim, & ultrà continet. Aliæ verò cæterarum Navium Columnæ num. 46. sunt minoris magnitudinis, nonnullis exceptis. Harum aliæ sunt ex eodem numidico marmore, aliæ verò è Pario lapide elaboratæ. Mediana major Navis, & altera Transversalis pulcherrimo aureato laqueari per Benedictum Ciolum affabrè exculpto nobilitantur; sex verò aliæ minores Naves testudine, seu arcuato pariete teguntur.

Præallatis Columnarum, & Navium ordinibus incumbunt, alii columnarum ordines minoris tamen magnitudinis, porticuum formam præseferentes; Hos non fornix, sed laqueare variis coloribus auro mixtis egregiè pictum adornat, proùt ex seq. Tab. VII.; & alibi inferiùs ostenditur.

Hìc paritèr observandum videtur, hujusmodi porticuũ ordines aliquibus majorem dubitandi ansam prębere posse, ex quo auctoritatibus S. Gregorii Nazianzeni, & Metaphrastes in vita S. Joannis Chrisostomi demonstretur suprà Ecclesiæ porticum Mulierum locum fuisse, quod contrarium esset superiùs dictis, nempè Mulieres in Navi constitisse; Cui dubio respondet de more eruditissimè laudatus Ciampinius in lib. I. Veter. Mon. fol. 17. sequenti ratione. Aliquibus in Civitatibus ab Imperatoribus, & aliis Magnatibus Sacra loca, scilicet cœnobia pro conservandis Virginibus Deo dicatis (quæ Ancillæ Dei antiquitùs denominabantur) constructa fuisse, ac ne ipsæ extrà Cœnobia in assistentia ad Sacra Mysteria vacare cogerentur: Ecclesias etiàm juxtà Cœnobia fuisse ædificatas, in nonnullis tamen architecturæ ordine immutato. Cùm Ecclesiæ pro communi populo recipiendo constructæ constantem ordinem trium, aut quinque Navium retineant; aliis verò, quæ & communi populo, & Virginibus Deo Sacratis inservire debebant, lateralibus Navibus duæ superadditæ fuère, quæque Porticus denominatæ sunt; in quibus Ancillæ Dei ad Sacra visenda Mysteria se reciperent; Ecclesiæ similis formæ exemplum habemus propè Urbem, scilicet Ecclesiam Sanctæ Agnetis viâ Nomentanâ, juxtà quam Magnus Constantinus, & Cœnobium,

& ip-

& ipsam Ecclesiam ædificavit.

Arcus, quem Triumphalem appellant, vario picturarum ornamento decoratur, de quo infrà egimus Cap. VIII. Ejus altitudo est palm. 120. circitèr; latitudo verò palm. 50. excedit. Arcus Triumphalis originem optimè descripsit idem supracitatus Ciampinius lib: 1. veter. monim. cap. 12. pag. mihi 199., quamobrem ejusdem verba placuit hìc etiam referre--Repetendum est (inquit) veteres fidei orthodoxę cultores, pace Ecclesiæ restitutâ, Fana Gentilium in sacros usus vertisse, & ad exemplum Priscorum nova Templa, & Basilicas excitasse. Studebant quidem diligētissimè Majores nostri iisdem artibus, quibus cæca Atavorum superstitio vana Numina olìm coluerat, verùm mundi Rectorem, & Servatorem placare: transfigebant Idololatriam telis suis, & instrumenta impietatis in verę Religionis, & pietatis usum accomodabant. Cogitarunt itaquè in Dei cultum illa quoquè redigere, quæ in fastum, & superbiam Triumphantium excogitata olìm fuerant. Arcus propterea triumphales præcipua, ac speciosissima præmia victorum Regi Regum statuere Christo Domino jure optimo placuit, & inventum gloriosissimum optimâ translatione dicare. Igitur in eâ Templi parte, quæ maximè conspicua est suprà tribunam, pariete ipso hemycicli formam aptè excipiente, arcum locarunt triumphis insignem; hoc est ejus summitatem imaginibus Crucis, aùt, ut plurimùm, ejusdem D. N. Jesu Christi Crucem prę manibus tenentis, ac è lateribus aliorum Sanctorum conspicuam reddiderunt; Romanorum exempla æmulantes, qui in arcubus spolia hostibus direpta tropæi ritu, aùt res ab Imperatoribns gestas, oppida capta, hostium arma, captivorum greges in ipso arcu exculpebant. Undè Claudianus lib. 3. De Laudibus Stilicon.

Indutosque arcus spoliis, æquataque templa
Nubibus &c.

Et panegyrico 4.

Aeraque vestitis numerosa puppe columnis
. . . . . : Spoliisque micantes
Innumeros arcus.

Et Juvenal. sat. 10.

Et summo tristis captivus in arcu.

Et Prudentius in Symmach. lib. 11. pag. mihi 322.

Frustra igitur curris summo miramur in Arcu
Quadrijugos, stantesque Duces in curribus altis,
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos
Sub pedibusque Ducum captivos poplite flexo
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco.

Græci autem similes arcus τροπαιοφόρες nominavêre. Dio enim lib. 53. de Marco Vinitio agens ob victos sub Augusto Celtas ἁψὶν τ' (ait) ἐν ταῖς Ἄλπεσι τροπαιοφοροι οἰκοδομῆθη. Arcus triumphalis in Alpibus ei construstus est. Xiphilinus in Vespasiano ἁψῖδες (inquit) τροπαιοφοροὶ ἐψηφίσθησαν. Arcus triumphales decreti sunt.

Sicut, inquam, ergò in illis victoris effigies, & instrumenta victoriæ exponebantur; ità Christiani suorum arcuum fastigio crucem, vel Christum locabant trophæo Crucis insignem, ac Martyres, aliosque Sanctos à lateribus habentem, tamquàm Regem triumphantem devicta morte, & inferorum prostratis potestatibus, eique credentibus Cœli januam aperientem.

Tab. 6



Ioseph. et Franciscus Milani delin. Pisis — Dominic. Marianus Franceschini Sculp. Romæ Sup. pm.



VERUM, ut ad Ecclesiam unde digressi sumus revertamur, Tribuna vel Absis Major non exiguæ magnitudinis, nàm ipsa sumpta mensura à pavimento ad palmos 105. assurgit. Hujus hemicycli latitudo ad palm. ferè 50. extenditur, ut ex ipsa Scenographica Tabula sign. num. 6. cognosces. Fornix illi impositus perantiquo opere musivo, ut inferiùs clariùs ostendemus, nobilitatur.

Pavimentum Ecclesiæ totum è candido, parioque marmore stratum, ac lineis ceruleis eleganter striatum; antè tamen ostium Chori ex opere tessellato variis lapillis vermiculatum affabrè elaboratum est.

Ejusdem Ecclesiæ Muri Medianæ Navis lapidibus marmoreis constructi sustinent tectum magnis quadratis trabibus, ac tigillis diligentèr compactum, pulcherrimoque deaurato, ut diximus, laqueari coopertum; parietes tamen Chori, licet lapidei, calce teguntur, elegantibusque picturis exornantur.

Fenestrarum numerus, & figura multiplex. Hæ siquidèm suprà centum & viginti visuntur. Primò in ordine 26. fenestris illuminantur Naves laterales. Secundò in Ordine per 48. superiores Porticus clarescunt. Tertiò in ordine 30. Mediana Navis, & transversalis propè laqueare ingenti luce replentur. Per duas magnas, ac alias quatuor orbiculares Tholus lumine illustratur; per tres Tribuna clarâ luce perfunditur; per tres alias area supra triumphalem arcum resplendet; per tres magnas suprà regiam januam pars Ecclesiæ inferior luminibus radiatis ditescit. In Basilicis enìm excitandis Christi-fideles Vitruvii præcepta imitantes servarunt etiàm fenestrarum amplitudinem pariter, ac numerum, ex quo dignitas quædam, & elegantia non sinè utilitate proficiscitur. Nàm copia lucis præterquam quod animi parit hilaritatem, legendis sacris scripturis, ac reliquis Ecclesiasticorum ministeriis obeundis non parùm conducit. Quemadmodùm in Basilicis gentis juridicundo extructis lumen uberrimum quærebatur, ut litigantium commodo in perlegendis, examinandisque tabellis consuleretur, possentque faciliùs tabulæ litigantium recitari, aùt, si opus fuerit, etiàm describi docente Leone Alberto lib. 7. cap. 14. Fenestrarum tùm in tribus supradictis ordinibus; tùm in tribunâ; tùm etiàm in facie ejusdem Ecclesiæ varia altitudo, & longitudo, undè illarum mensuram, ut brevitati studeam, omittam, cum cæteroquin obvium cuilibet sit eas facili negotio dimetiri. Omnium earumdem fenestrarum repagula vitreis laminis constant, quæ pervia luci ventorum flatus simul occludunt. In primo ordine eadem repagula sunt variis coloribus decorata, nàm in illis exprimuntur sacræ historiæ quodam musivo vitreo opere compositæ, quæ non minùs diei claritate, quàm pulchritudine Basilicam perlustrant.

Tholus ad Septentrionem, & Meridiem, intrinsecè marmoreis parietibus medianæ Navis; ad Orientem verò, & Occidentem lapideis arcubus incumbit. His hærent duæ in eumdem Tholum porrectæ scalæ arcuatæ cum suis balaustris, quæ in medio juxtà formam eorumdem arcuum sunt acutæ. In harum culmine adest Janua non incomptè elaborata, per quam patet aditus ad partes superiores Ecclesiæ. Itèm Tholus præstantissimorum virorum picturis exornatur, siquidèm Deiparæ Virginis Triumphatricis Cœlos ingredientis effigiem cum pluribus Angelorum Choris eidem inservientibus eleganti pennicillo expressit Horatius de Riminaldis Pisanus. Sanctorum cætus egregiis coloribus Hyeronimus de Riminaldis post Horatii Fratris obitum efformavit. Quatuor verò Evangelistæ in angulis existente à Dominico Cinganello affabrè fuerunt depicti. Altitudo Tholi à pavimento usquè ad Globum æneum ad palm. 240. circitèr exsurgit, ut ex eâdem prædictæ Tabulæ mensurâ cernitur.

Sub eodem Tholo eminet Organica moles qua cælatura, quâ inauratione, ni fallor, etiàm suspicienda. Hæc parieti hærens duabus magnis è numidico marmore columnis videtur incumbere. Illius ornamentum totum auro tectum est; ac per


supradictum Benedictum Ciolum, ut ajunt, scalpro pereleganter ex ligno cum pluribus figuris elaboratum. Fistulæ innumeræ, & non mediocris magnitudinis attolluntur. Utrimque ex eisdem magnis fistulis conflatæ assurgunt columnæ; quarum bases Sphingum deauratis capitibus suffulciuntur. Suggestum ubi Musici sacras voces modulantur in exteriori parte fistulis componitur, ac elegans parvum organum efficitur. Hujus ædificii altitudo, demptis illis duabus marmoreis columnis, quibus imminet, est palm. 60. & ultrà; latitudo verò palm. 40. Ejusdem operis artifices fuerunt egregii viri Franciscus Palmerius, & Georgius Speringa, qui reverà egregii, dùm opus hoc, quo ad elegantiam, magnitudinem, & concentum tàm egregium elaborarunt. Illius exemplar cognosces in Tabula V. & VII.

Imminet in parte è diametro opposita cum variis aureis ornamentis magnum Horologium, ut horæ in Ecclesiâ officii causa distinguantur. Ex altero ejusdem Horologii latere suprà basim auro interlitam extollitur aurea effigies cujusdam Senis Tempus repræsentantis; ex altero verò consurgit suprà similem basim Mortis imago. In ornamento sub eodem Horologio hæc verba expressa visuntur, scilicèt *Vides horam*; *nescis horam*. Quorum prima, nempè -- *Vides horam* -- Temporis sunt. Sequentia verò nimirùm -- *Nescis horam* -- Mortis; quod maximè notandum est.

Suggestum quoquè ubi Sacri Oratores concionem habent, non est despiciendum; siquidèm totum est marmoreum floribus lapideis eodem in marmore insertis; ac aliis variis lapidum incrustationibus ornatum. In angulis adsunt parva simulacra Evangelistarum. In fronte fulcitur duabus è lapide variegato columnis, quarum bases incumbunt Leonum humeris animal unguibus anterioribus arreptum tenentium. Altera verò ejusdem suggesti pars septimæ ingredientibus columnæ medianæ Navis unà cum duabus parvulis marmoreis semicochleis scalis facilem ascensum præbentibus adhæret. Subter consurgit Charitatis, vel ut ajunt nonnulli, Pisarum Imago cum aliis figuris albo in marmore artificiosè exculptis. Hieroglyphicum hoc cum satìs de se innotescat nulla indiget explicatione; Quo verò ad Leonum figuras quid indicent nos latet; Scimus tamen adeò in usu apud Romanos in ædificiorum ornatibus Leones fuisse, ut in Pyramidibus loco basium, sivè talorum positi fuerint. Peculiari notà dignum erat exemplum in Vaticano Obelisco, proùt Jannotus Manetti de Vitâ, & Gestis Nicolai V. Is enim in eodem tractatu, qui Ms. servatur in Bibliotheca Vaticana sub num. 2046. sic ait: *In hac amplissima, & ornatissima area, & ut Græci expressiùs dicunt Plateâ, ingentissimum illum, ac maximum Obeliscum in ipso areæ meditullio, è regione ad intermediam prædicti vestibuli portam, in hunc modum pulcherrimè simul, atque devotissimè collocabat; nam pro quatuor pusillis, æneisque Leonibus, quibus Colossus ipse, nunc pro basibus, ac sustentaculis, paullo superficie Soli altioribus, utitur, quatuor magnas totidem Evangelistarum Statuas ex solido, liquefactoque ære, in staturam humanam fabrefactè conflatas, in superficie Soli; distantibus inter se proportionibus, secundum Colossi latitudinem ponebant; super quibus æneis Statuis diversis invicem figuris, juxta varias cujuscunque personæ conditiones, perpolitissimè Sculptis, Colossæa moles sustentabatur: in summitate verò ipsius Colossi, alteram Jesu Christi Salvatoris nostri statuam, dextera ejus manu auream Crucem bajulantis ex ære confectam, accommodabat.* -- Hactenus Manettus. Scimus etiam Leones symbolum majestatis exculptos fuisse, prout habetur in libro tertio Regum cap. 10. ubi: *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem fecisse, ac vestivisse eum auro, qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo Leones stabant juxta manus singulas, & duodecim Leonculi super sex gradus hinc atque inde*. Non pauci verò existimant Leonis typo venire etiam Episcopum, vel alium Ecclesiæ rectorem, qui juxta do-

doctrinam Principis Apostolorum Epistola prima, cap. quinto. Sobrii esse debent, & vigilantes, adeout fideles à via Domini aberrantes ad semitam veritatis redire cogant, nolentesque, ac interdum in propriam matrem surgentes unguibus, dentibusque censuris videlicet, aliisque poenis dilanient.




Tab. 9
Scenographia Lateris interni Basilicæ Pisanæ cum parte inferiori
Ioseph. et Francis. de Milanis fr.es delin. Pisis


ON procul existit elegans opificium ex ligno elaboratum; nempe sedes Archiepiscopalis pro audiendis sacris Concionibus, quam olim in choro extitisse puto usque ad annum 1601. quo tempore nova fuit efformata una cum subselliis duorum Canonicorum assistentium. Hæc tota ligneo musivo opere, seu tessellato à Jo: Baptista Cervellesio anno 1536. ut ibidem ex inscriptione liquet, decorata fuit. In ipsa siquidem visitur ad vivum expressa Beatissima Virgo cum Puero, & Magorum adoratio una cum eorum muneribus, famulis, camelis, & equis. In Canonicorum subselliis varii locorum prospectus eodem ligneo opere exprimuntur. Hoc etiam opificio omnia sedilia per totam Ecclesiam prope parietem decurrentia in suis postergalibus exornantur; nam ibi cernuntur variæ Prophetarum, ac Sanctorum figuræ, aliaque ornamenta per Dominicum Mariottum, & alios artifices affabre compacta.

In medio Templi è laqueari pendet nobile ac rotundum æneum lampadarium à Vincentio Possenti Pisano anno 1587. mira arte efformatum. Hoc totum est variis puerorum æneis figuris, aliisque æneis ornamentis extructum. Ab ipso pendent in gyrum triginta sex lampades, totidemque inhærent parva ænea candelabra; Verum, quod mirum est, tactu parvæ pilæ in fine lampadarii veluti ad ornatum positæ, omnes lampades temporis momento, ac ictu oculi extinguntur. Quod cernitur, ut plurimum, hebdomadâ sanctiori quando recolitur memoria Dominicæ Passionis, & omnia lumina tenebrarum causâ tolluntur.


Vasa quoque pro aqua lustrali sunt affabre scalpro expressa; at ceteris duo sunt prestantiora. Hæc è variegato marmore constant, ex quorum altero assurgit eneum Redemptoris simulacrum optimé à Felice Palma anno 1621. exculptum; ex altero verò attollitur ænea Divi Joann: Baptistæ effigies ab eodem artifice accurate efformata. Visitur & aliud vas albo ex marmore non inferioris cælaturæ, in cujus medio prominet Beatissimæ Virginis filium ulnis gestantis imago sedulò expressa.

Suggestum, seu mæniarum regiæ januæ imminens, & in medianam navim porrectum, per quod patet internus aditus de uno latere navium, seù porticuum supernarum ad aliud, totum est marmoreum, tumque variis lapidibus, & elegantibus opere anaglyphico celaturis Sacra D. N. Jesu Christi Mysteria, ac D. Joannis Baptistæ Nativitatem exprimentibus, exornatum. Suggestum hoc demptis parastatis, ac prædicta D. Jo: Baptistæ Nativitate à prælaudato Joanne Pisano sculptore anno 1320. fuit absolutum. Idem opus olim choro adhærebat, ut notat ocularis testis Vasarius lib. 1. pag. mihi 105. ac ibidem acta 2. Concilii Pisani lecta fuisse autumo; anno tamen 1624. ut ex monumentis ipsius Basilicæ eruitur, ex veteri supradicto loco in eum, ubi cernitur, translatum fuit. Tria magna deaurata armaria parieti hærentia pro asservandis Sanctorum reliquiis à Tacchio elaborata, ac duo Angeli hinc inde candelabrum sustinentes non sunt spernendæ cælaturæ; nec Sanctorum tabulæ interpositæ sunt rudi penicillo depictæ. Quæ omnia una cum columnis è marmore variegato prope regiam januam assurgentibus, aliisque pretiosis lapidum incrustationibus, dignitatis Basilicæ testimonia etiam in inferiori parte proferunt amplissima, ut ex ipsa tabula VII. accipies.

Sed ut evitetur confusio, quæ ex inordinata rerum serie exoriri solet legentibus, cetera ejusdem Ecclesiæ ornamenta gradatim in sequenti capite de Altaribus, majori, qua possumus diligentiâ, ostendemus.

Tab. 3

Ichnographia Basilcæ Pisanæ



Camillus Rainerius Burghius delin. Pisis

D. M. Franceschini Scul.

De Sacris Altaribus.

CAPUT VII.



CTURI de Sacris aris, clarior dicendi lex flagitat, ut iterùm ichnographiam ejusdem Basilicæ aperiamus, in qua appicti numeri omnia Altaria, quæ in toto Ecclesiæ ambitu collocantur cum reliquis notatu dignis indicabunt. Ingredienti igitur Templi januam litt. A. designatam, quam regiam dicunt, oculos dirigendo ad minorem ambulationem Navis extremæ lateris dexteri primò sese offert magnum æneum candelabrum in 5.partes divisum pro sustinendis totidèm cereis antè antiquissimam Christi Salvatoris è Cruce pendentis Imaginem in loco propè minorem januam, juxtà antiquorum Christi-fidelium morem depictam, de quo Lactantius Firmianus mentionem facit; quippèque in Basilicâ Liberianâ, & alibi licèt in laterali parte, tamen prope portam ostenditur.

2. Deindè occurrit Altare Sanctarum Virginum nuncupatum (olim S. Silvestri) eò quod plura Altariola Cappellaniarum SS. Virginibus dicata in illud fuerunt redacta, ibique plurium Sanctarum Virginum effigies expressę, ut ipsamet Basilica pari Altarium ordine, & ornamentorum nitore decoraretur; Hoc etiàm servatum fuit quoad cætera parva Altaria SS. Angelis, Apostolis, Martyribus, Doctoribus, ac Confessoribus dicata; nàm omnes Angelorum, & Sanctorum Imagines, quibus Cappellaniæ insigniebantur, translatæ fuerunt in unum Altare juxtà suum ordinem exceptis nonnullis. Dictum Altare SS. Virginum dicitur etiàm Mortuorum, eò quod suffragia pro mortuis illic à Deo flagitantur; ibique est privilegium pro suffragandis animabus juxtà illud Altaris Sancti Gregorii de Urbe. Imago Beatissimæ Virginis filium amplexantis in medio SS. Virginum sedentis per Christophorum Allori fuit elegantibus coloribus expressa. Ornamentum marmoreum Altaris egregiè elaboratum fuit à Stagio Stagi de Petrasancta; delineatum verò, ut fertur, à supradicto insigni viro Michaele Angelo Bonarota Florentino.

3. Huic propinquum est Altare vulgò appellatum *de Dottori*; ibi visuntur Sanctorum Ecclesię Doctorum imagines; ac in eorum medio eminet figura Sacrosanctæ Eucharistiæ. Tabulam hanc Franciscus Vanninius Senensis egregiè depinxit. Ornamentum marmoreum fuit à prædicto Stagio Stagi exculptum; delineatum verò ab eodem Michaele Angelo Bonarota.

4. Propè illud extat aliud simile Altare marmoreum Beatæ Mariæ Gratiarum dicatum ab iisdem artificibus exculptum, ac delineatum.

5. Suggestum pro sacris concionatoribus, de quo supra egimus.

6. Ara Sanctorum Trium nuncupata; Hæc est tota marmorea optimè elaborata à supradicto Stagio, ac ab eodem Michaele Angelo delineata: Prope tabulam suprà soccum assurgit urna marmorea, qua Trium Sanctorum, nempè Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis corpora teguntur, quę fuerunt adducta ex Orientalibus plagis, quandò Pisani illùc Cives ad expugnationem Urbis Hierusalem perrexerunt, ut infrà clariùs ostendemus. In eadem urna epigraphe legitur non in totum absimilis ab altera in arca vetustissima sub ara expressa, ubi olim sacra hæc pignora collocata fuerunt: Tenor est ita,

Gamalielis, Nicodemi, & Abibæ Patris Filii, ac Nepotis, ut Ecclesia docet, Civium Terrenæ, ac Cælestis Hierusalem felici tempore Pisanorum adducta Cadavera marmore sub hoc renovato reconduntur.

Pendet ibidem etiam tabula his versibus inscripta.

Hoc in sarcophago requiescunt Corpora sacra
Sanctorum, quorum nomina dicta Trium:
Sanctus Gamaliel, Abibas, & Nicodemus
Insimul ipse Pater, filius, atque Nepos,
Gamaliel Divi Pauli didascalus olim,
Doctor, & excellens Isdraelita fuit:
Consilii magni, fideique per omnia cultor,
Narrat ut historiæ Scriptor Apostolicæ.
Nobilis Abibas Patris hujus filius almi

Extitit Angelica Virginitate nitens
Mosaycam legem callens, quoque sic adolescens
Credidit in Christum cum genitore pio.
Magna in Evangelico præconia sunt Nicodemi;
Dum sepelit Christi Corpus honorificè.
Hic est ille quidem, qui se debere renasci
Audiit à Christo: denique Martyr obit.
Hoc epigramma legens, horum suffragia quære,
Teque recommendans, quære salutis opem.
Quatenus ad Christũ dignentur fundere Vota;
Ut Paridisiacis donet adesse choris

De his sanctis vid. in Actis Apostolorum cap. V. & XXII. in Evangelio Sancti Joannis cap. 3. & XIX. & in Breviar. Rom. 3. Augusti in festo S. Stephani.

7. In proximo ambulacro circà magnam Tholi parastatam hæret Tabula B. Virginis Filium amplexantis. Hanc Andreas vulgò *del Sarto* coloribus ad miraculum expressit; Aliam proximam Sancti Philippi Nerii mirabili penicillo pinxit Petrus Cortonensis. Alteram Divi Thomæ Aquinatis Franciscus Benozzius Florentinus egregiis coloribus delineavit. Quartam verò Divi Torpetis Salvator Rosa elegantèr una cũ suprapos ita ovata tabula efformavit.

In proxima columna quotannis tempore Consecrationis Basilicæ, nimirùm die 26. Septembris appenditur tabula, ubi intèr cætera visitur brevis dictæ consecrationis descriptio sequentis tenoris: *Anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. 6. Kal. Octob. more Pisano: Gelasius hujus nominis Papa II. Pisas veniens cum multitudine Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Abbatum, & infinitorum aliorum Religiosorum, Virorum, & Clericorum honorificè à Populo Pisano susceptus, Ecclesiam hanc majorem Pisanam in honorem Gloriosæ Virginis Mariæ dedicatam consecravit, concessitque tali die omnibus benè pœnitentibus, & confessis quatuordecim millia annorum indulgentiæ; & ab Assumptione Glor. Virginis Mariæ, usquè ad Nativitatem D. N. Jesu Christi 24. millia annorum indulgentiæ, & remissionem tertiæ partis peccatorum. Item singulis diebus totius anni 48. annos, & centum quarantenas indulgentiæ; & in omnibus festivitatibus B. Mariæ Virginis mille annos &c. Nicolaus Papa II. Calixtus II. Gregor. VII. & Innoc. II. easdem indulgentias confirmarunt &c.* Innocentius XII. etiam eandem Basilicam amplissimis indulgentiis ditavit. Has quoque Clemens XI. feliciter regnans auxit; die siquidem festo B. M. Virginis Assumptæ. S. Clementis Papæ & Martyris, ac S. Raynerii Confessoris Pisani omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus verè confessis, & sacra Commun. refectis hanc S. Ædem visitantibus, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam concessit. Eandem etiam indulgentiam tempore Expositionis 40. Horarum Septuagesimæ omnibus, ut supra verè confessis, & Sacra Commun. munitis ibidem preces effundentibus elargitus est. Insuper singulis quoque Sabbatis, ac diebus festis B. M. V. devote interessentibus Litaniis ejusdem Deiparę Virginis hoc in templo recitandis centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxavit. Idemque Summus Pontifex indulsit, ut quicumque septem ejusdem Basilicæ Altaria ab Archiepiscopo designanda devote visitassent omnes indulgentias consequerentur, quas ii, qui septem Urbis Ecclesias visitant, consequuntur. De prædicta Consecratione loquitur Card. Pandulphus in Vita ejusdem Summi Pontificis Gelasii existen. in Biblioth. Vaticana; Abb. Constant. in Vit. ejusdem Gelasii fol. mihi 100. Oldoin. apud Ciaccon. de Vit. Rom. Pontif. lib. 1. colum. mihi 935. Troncius, Vivianus, & alii, quos brevitatis gratia omittimus.

8. Non procùl in transversali ambulatione, per quam itur ad sinistrum exeuntium Crucis latus, est Ara SS. Joannis Baptistæ, Georgii, Francisci, ac Barbaræ, inter quos visitur Deiparæ Virginis Imago Filium ulnis tenentis, ac in Solio sedentis. Hanc tabulam ad vivum expressit Jo. Antonius Solianus Florentinus. Ornamentum marmoreum à Stagio Stagi supradicto fuit exculptum, delineatum verò à Michaele Angelo sæpè laudato. Suprà hujusmodi Aræ marmoreum ornamentum assurgunt duo Angeli in pariete ab egregio pictore Perino, vulgò dicto *del Vaga* depicti, qui totam Ecclesiam variis picturis ornaturum se promiserat, ut fusiùs loquitur laudatus Vasarius Aretinus par. 3. pag. 370.

E proxima columnâ marmoreâ Navis transversalis pendet parva tabula, ubi legitur italico sermone illa nunquàm satis laudata Epistola præmemorati Summi Pontificis Clementis XI. sanctissimè regnan-

gnantis jussu omnibus Italiæ, ac Insularum adjacientium Episcopis, Archiepiscopis, &c. pro conservando Ecclesiarum debito cultu scripta; cujus initium est ita:

Lettera Circolare per ordine della Santità di N. S. Clemente XI. *sopra la Veneratione, e Culto dovuto alle Chiese.*

PRemendo alla Santità di Nostro Signore di sodisfare alle parti del suo Apostolico Ministero con andare estirpando per quanto è possibile dal Popolo Cristiano le offese che si fanno al Signore Dio, e quelle particolarmente, che cagionando publico scandalo portano più irreparabili ruine spirituali alle Anime, e provocano maggiormente l'ira Divina sopra di noi, hà posto l'occhio fino dal principio del suo Pontificato in primo luogo sopra l'abuso hormai troppo universale del poco rispetto, che si usa alle Chiese; le quali dovendo essere Case d'Orationi, paiono per la irreligiosità di molti mali Cristiani, quasi ridotte à Case di libertà, e di peccati.

Mi hà perciò comandato espressamente la Santità Sua d'incaricare in suo nome à V. S. sicome à tutti gl'altri Ordinarii d'Italia, e delle Isole adiacenti, che con ogni studio, e diligenza procurino di porger rimedio all'inconveniente predetto, e di restituire alla Casa di Dio la riverenza, e rispetto che l'è dovuto. Ed à tale effetto la Santità Sua rinovando con la presente tutte le dispositioni de Sacri Canoni, Constitutioni, e Decreti Apostolici altre volte fatti, e promulgati da Sommi Pontefici suoi Antecessori intorno all'istessa materia, vuole, che V. S.

I. *Per mezzo di Prediche, e Sermoni, ò con Editti, e Lettere Circolari instruisca, e faccia ben ponderare à suoi Popoli, quanto dispiaccia alla Maestà di Dio l'irreverenza nelle Chiese, insinuando le minaccie della Sacra Scrittura, ed i gastighi publici, come di Peste, Fame, Guerra, Terremoti, e simili, che per comune sentimento de Santi, suole Dio specialmente mandare per vendicare gl'affronti, che i mali Cristiani vanno à farli nella sua propria Casa:* Quoniam ultio Domini, est ultio Templi sui. *In segno di che, come notano i medesimi Santi, non si trova, che Cristo N. S. gastigasse con le sue proprie mani altro peccato, che questo, mentre con i flagelli scacciò i profanatori del Tempio, &c.*

II. *Prescriva à Confessori, che ammonischino sopra di ciò li penitenti seriamente, &c.*

G. Card. di Carpegna Prefetto.
G. D. Parracciani Prosegretario.

9. Janua parva.
10. Sepulchrum Archiepiscopi Petri Ricci.

Ulterius



Vrna sepulcralis D. RAYNERII confessoris Pisani in Basilicæ Pisanæ Sacello
DEIPARÆ VIRGINI *Sacro assurgens*

Ioseph. et Francis. Milani delin. Pis. *Dom. M. Franceschini sculp. sup. perm.*

11. LTERIUS progrediendo apparet elegantissimum Sacellum SS. Virgini Mariæ, vulgò *l'Incoronata*, dicatum. Veterem hujus Sacelli aram Sum. Pont. Calistus II. consecrasse dicitur, ut notat laudatus Troncia in ann. Pis. fol. mihi 59., quod & Pisanorum Chronicon indicat: ut videre est apud Ugh. de Ital. Sac. lib. 3. col. mihi 864. Tribuna ejusdem Sacelli tota variis marmoribus præstanti artificio expolitis illustratur. In medio Deipara Virgo in Cœlum Assumpta albo ex marmore elaborata est. Hinc inde duæ statuæ consurgunt SS. Prophetas, ut ajunt, repræsentantes; extra Tribunam duo pariter simulacra attolluntur SS. Ephysum, & Potitum referentia; quorum alterum ad vivum efformatum in fundamentorum cujusdam ædificii effossione erutum fuisse dicunt. In superiori marmoreo loculamento eminet B. Virgo in actu coronam accipiendi à Patre, & Filio; quod Mysterium, una cum prædictis Prophetis à Francisco vulgò nuncupato *il Moschino* in marmore exculptum fuit. Effigiem verò Deiparæ Virginis in throno sedentis, & Angelorum Gaddus Gaddi Florentinus opere musivo mirabiliter expressit, & ejusdem loci spatium incisis aureatis lapillis idem Gaddus nobilitavit. Prope mensam renovatam Altaris è pavimento prominet soccus croceis, cinericiis, aliisque pretiosis lapidibus sedulo elaboratus, cui incumbit pulcherrima urna è viridi marmore, & ex quatuor partibus lydio lapide auro interlitis floribus, aliisque ornamentis exornato optime incrustata. Eadem urna, prædicto Lydio lapide sublato, nitidissimam chrystallum exhibet, quâ undique reconditum cernitur Divi Raynerii Confessoris Pisani, Patriæque suæ clementissimi Patroni Corpus pelluriâ, seu pœnitentium habitu, auro contextâ indutum, & coronâ pretiosissimis gemmis discriminatâ redimitum; prout in tab. 7. cognosces. Coronam hanc suis manibus effecere Serenissimæ, religiosissimæque Principes Victoria de Ruvere Magna olim Etruriæ Dux; ac Anna ejusdem dignissima Neptis, nunc meritissima Palatinatus Electrix. Prædictam pretiosissimam urnam Regia Celsitudo piissimi Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis feliciter imperantis fieri mandavit.

12. Haud longè parieti hæret sepulcrum marmoreum Henrici hujus nominis VII. Imperatoris pluribus figuris, & aliis marmoreis cælaturis exornatum. Hîc ejusdem Imperatoris ergâ Pisanos Cives benevolentiæ vinculo conjunctissimi cadaver è Castro nuncupato *Buonconvento*, ut notat Ughell. de Ital. Sac. d. lib. 3. col. mihi 533. Pisas translatum solemni lugubri pompâ conditum fuit; ibi sequens inscriptio sculpta est.

Hoc in sarcophago
Non quidem spernendo,
Henrici
Olim Lucemburgensis Comitis,
Et post hæc
Septimi eius Nominis
Romanorum Imperatoris
Ossa continentur,
Quæ secundo
Post eius fatum anno,
Videlicet M.CCCXV.
Die vero XXV.
Sextilis Pisas translata
Summo cum honore
Hoc in Fano
Ad hanc usque Diem
Collocata permansere.

Subter visitur Aquila ungulis gestans epigraphen fortitudinem, ac sufficientiam nostram ex Deo esse indicantem, cujus tenor est ita.

Quidquid facimus
Venit ex alto.

13. Proximè reperitur janua lateralis, cujus æneæ valvæ vetustissimæ cælaturæ ab eodem Ciampin. de vet. mon. lib. 1. fol. mihi 46. ostenduntur, quas & nos infrà exhibuimus. Hanc suprà lateralem januam visuntur in exteriori parte varia marmorea ornamenta, inter quæ olim, ut notat Vasarius lib. 1. fol. mihi 106. reperiebatur simulacrum Beatissimæ Virginis à Joanne Pisano egregie exculptum. Hæret etiam parieti Serenissimæ Domus Mediceæ stemma hac inscriptione illustratum, nimirum

Cultus Dei Regum Salus.

14. Simulacrum marmoreum Divi Blasii cum marmoreo loculamento propè portam est opus elegans à Stagio supradicto elaboratum.

15. Gradus marmorei, per quos ascenditur ad aream, ubi olim erat, ni fallor, Senatorium; Etenim hoc loci in vetustissimis Basilicis Senatores consistebant, prout refert memoratus Ciampinius de vet. Mon. par. 1. pag. mihi 14. ubi & ichnographicam tabulam prædictæ Basilicæ D. Clementis ostendit.

16. Sacrarium, ubi inter cætera inspiciuntur duo magna armaria, in quibus asservatur pretiosissima ejusdem Basilicæ suppellex. Ibidem plura argentea candelabra cernuntur, ex quibus quatuordecim sunt aliis præstantiora. Horum sex sunt valoris aureorum novem millium & ampliùs, alia verò sex sunt quidem inferioris magnitudinis; majori tamèn artificio elaborata. Plures quoquè visuntur lampades, quarum 12. magnitudine, & opificio cæteras antecellunt. Plures non levis cælaturæ calices, inter quos alter ex auro purissimo conflatus. Duæ pulcherrimæ thecæ, vulgò *Ostensori*, in quibus Divinissimum Eucharistiæ Sacramentum Populo adorandum exponitur, quorum altera gemmis ac duabus parvulis Angelorum aureis figuris exornatur. Baculus Archiepiscopalis nobilis, Crux & Mitræ pretiosissimæ, Pollubra quoque, & alia, quæ deserviunt pro abaco Archiepiscopi sunt scitê semianaglypo opere in argento auro interlito absoluta. Alia etiam non pauca Altarium ornamenta accurati artificii inspiciuntur, quæ brevitati inservientes omittenda censuimus.

17. Scala, per quam itur ad superiores naves, seù porticus.

18. Sepulcrum eminentissimi Cardinalis Francisci de Moricottis hujus Basilicæ Archiepiscopi, à quo non longè distat aliud Archiepiscopi Joannis de Scherlattis.

19. Sacrario proxima Ara est Sanctissimi Crucifixi, ubi est effigies D. Mariæ Magdalenæ in genua procumbentis & Crucem amplexantis. Hanc optimè pinxit Joannes Vilibertus.

20. Scala marmorea, per quam itur ad Suggestum, Ambonem dictum à græco, ut opinor, verbo αμβαινειν, quod ascendere significat, ut notat Panvinius; vel à latino ambio, eò quia circumquaque ambiat, ut refert Walfridus Strabo de Eccles. offic. cap. 6. Sanctus Cyprianus ambonem Tribunal nominavit, ut docet Amalarius de Eccles. offic. cap. 17. Pulpitum fuit etiam nuncupatum, quia in publico statutum, ut qui ibi stant ab omnibus videantur: In hujusmodi Ecclesiæ Pisanæ ambone duo repeRiuntur legilia in quorum altero ad Aquilonem cantatur sacrosanctum Evangelium; in altero leguntur Epistolæ; in medio verò habetur Sacræ Scripturæ lectio. Ex prædicto ambone, ut referunt, antiquitùs quando canebatur *Exultet* aperiebatur, ac demittebatur paulatìm deorsum quædam ad formam rotuli obvoluta membrana, ubi expressa erant verba

ba ipsius *Exultet* cum figuris Sacra D. N. Jesu Christi mysteria repræsentantibus; hodiè verò hujusmodi usus recessit, & solùm membrana illa in memoriam venerândæ antiquitatis singulis annis tempore consecrationis Basilicæ publicè exhibetur. Viget tamen adhuc laudabilis mos ex eodem ambone singulis diebus Dominicis in Missis majoribus post Evangelium annunciandi Populo dies festos, vigilias, si quæ sunt in hebdomada consequenti. Epiphaniæ verò die, juxtà ordinationes Concil. Aurelian. IV. can. 1. & 2. Concil. Tolet. cap. 4. ejusdemque Pontificalis Romani, tempus Septuagesimæ, Cinerum, & Gaudium S. Resurrectionis Domini ordine sequenti.

Celebrata Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, & eius Circumcisione fratres carissimi, die Sancto Epiphaniæ, quem hodie celebramus, consuevit Sancta Mater Ecclesia nunciare fidelibus suis terminum Septuagesimæ, initium veræ Quadragesimæ, & gaudium Sanctæ Resurrectionis Domini. Noscat igitur discretio vestra quod terminus Septuagesimæ quando clauditur alleluia erit die......... Initium veræ Quadragesimæ erit die .... & gaudium Sanctæ Resurectionis erit die........ ad quod gaudium ille Nos, & Vos perducat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Quęret hìc forte aliquis cur in prædicta formula Quadragesimæ additum fuerit verbum *veræ*. Quod parum immutatum etiam legitur in vetustissima formula indulgentiæ 40. dierum Cærem. Episc.; quando scilicet celebrat, vel Missæ assistit Episcopus; cujus tenor est ita. *N.N. Episcopus dat, & concedit omnibus hìc præsentibus 40. dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta &c.* Numquid falsa reperitur Quadragesima? Numquid falsæ in Ecclesia Dei publicantur indulgentiæ? Cui breviter respondetur verbum illud *veræ* in prædicta formula Quadragesimæ additum fuisse ad denotandam veram, & universalem Quadragesimam ab Ecclesia servatam ad distinctionem alterius particularis, & impropriæ Quadragesimæ, seu Jejunii de quo Glos. in Can. Sacerdotibus de consecr. dist. III., & alibi. Quoverò ad verbum *Vera* prę-memoratæ formulæ 40. dierum obiter respondetur juxta mentem eruditissimi P. Josephi Agnelli in lib. 1. Paroch. instr. instrut. XVII. expressam, ubi Italico idiomate hæc habet.

La Chiesa d'Iddio anticamente aveva stabilita la regola à Sacerdoti Confessori con cui si dovevano governare quando imponevano la sodisfattione temporale, ò penitenza che dir vogliamo de Peccatori. Questa regola, come leggiamo ne sacri Canoni prescriveva comunemente l'imporre à qualunque peccato mortale sett'anni di penitenza Glos. c. Hoc ipsum 33. q. 2. v. præcipitur. E questo è quel numero d'anni che moltiplicato à proportione del numero de peccati hà relatione à quelle migliaia d'anni di remissione ò d'indulgenza, delle quali si parla nelle concessioni delle antiche indulgenze, in occasione di stationi, di visita di Chiese, ò Immagine divota. Or questo tempo più ò meno s'aggrava di opere penali secondo la qualità della persona, ò della colpa; ed il rigore erá tanto più grande, quanto il peccato era di più scandalo à Fedeli.

V'erano poi regole, alle quali li Confessori si dovevano conformare ne casi particolari: dall'osservanza delle quali non potevano scostarsi senza grave occasione. Così per esempio il Confessore doveva imporre ad un Sacerdote Reo di peccato di Scandalo, ò di Fornicatione &c. dieci anni di penitenza. Doveva cominciarla rac-

chiuso in luogo separato dagl'altri, vestito di sacco, di cilitio senza letto digiunando in pane, & acqua per tre mesi continui; ne poteva mangiar più che una volta il dì al tramontar del Sole. Rallentavasi al quanto il rigore di penitenza ne giorni festivi, ne quali si permetteva al penitente l'uso de legumi, e di qualche pesce minuto, e d'una piccolissima misura di vino. Passati li 3. mesi usciva di stanza, ma rimaneva sequestrato affatto dal farsi vedere, e così à poco à poco era ammesso nel coro &c. I Sommi Pontefici alle volte concedevano indulgenza plenaria, con la quale si rilassavano tutte le penitenze imposte per i peccati commessi secondo le regole canoniche alle volte per alcune quarantene &c.

Alcuni degl'antichi Dottori hanno voluto dire che per queste, ò simili indulgenze si rilassavano le sole pene canoniche, all'esigenza delle quali la Chiesa cedeva, lasciando acceso nel suo vigore tutto il debito del peccatore al libro della Divina Giustitia da sodisfarsi nel Purgatorio. Ma questa sarebbe stata un indulgenza apparente, e non vera. Anzi sarebbe l'indulgenza un beneficio molto dannoso, quale per apunto riuscirebbe la gratia ad un reo che può sodisfare à qualche delitto da lui commesso, ò con qualche somma di danaro, ò con alcuni anni di pena di corpo &c. se il Prencipe per gratia cedesse all'ius d'esser sodisfatto in danari &c. e ritenesse quello, che è di maggior afflittione, e tormento al debitore, cioè che non pagando quella pena in danaro, scontasse con gl'affanni gravissimi nel corpo, ò con la perdita della vita.

L'indulgenza, la quale concedono i Sommi Pontefici ò quelli che da loro hanno l'autorità è vera indulgenza, perche non solo per essa si rimettono le pene da Sacri Canoni prescritte &c. ma di più alla sodisfatione dell'opera, in riguardo alla quale si concede l'indulgenza, s'aggiunge dal Tesoro della Chiesa, cioè da i meriti di Giesù Christo sodisfatione del debito in riguardo alla sodisfatione dovuta nel Purgatorio, se colui che deve guadagnare l'indulgenza dal canto suo e ben disposto &c.

Ex prædicto ambone fit etiam transitus ad Organum parvum, vel suggestum, ubi Musici Divinas laudes singulis diebus festis canere solent. Propè medium scalæ, qua ascenditur ad hujusmodi ambonem supraseptum marmoreum, quod Chorum, seu Presbyterium claudit, assurgit legile ad Aquilonem, ad quod Diaconus Evavgelium in Missis ferialibus decantat.

21. Ostium Chori ad Austrum, ubi locantur cancelli.

22. Ostium Chori in medio, quod Græci Portam Sanctam appellant. Hujus Ostii cancelli Dominicâ Palmarum, quando temporis injuriâ non fit processio extra Ecclesiam, deserviunt etiam loco valvarum Regiæ Januæ; ante Antiphonam quippe – *Ingrediente Domino &c.* reserantur.

23. Septum Chori marmoreum extrinsecùs floribus, & aliis marmoreis incrustationibus artificiosè ornatum, de cujus interno ornamento cap. VIII. diximus.

24. Gràdus marmorei, per quos ascenditur ad Sanctuarium; sive ad aream ante Altare majus. Animadvertendum est hìc, quod Feria quarta, quinta, & sexta Majoris hebdomadæ loco candelabri triangularis super hos gradus accensæ sparsim locantur candelæ ceræ communis inflexæ ad designandam, ut ajunt aliqui, discipulorum dispersionem; alba verò accensa clauditur in laterna vitrea

vitrea ; ac sursùm ante tenebrarum officium trahitur usque ad laqueare chori ; quæ postmodum in fine ejusdem officii, fortasse, ut inde clariùs S. Ecclesiæ fidem Dominicæ Passionis tempore agitatam nunquam appareat defecisse, paulatim deorsùm mittitur dum per breve temporis spatium strepitus, fragorque peragitur.

Hac eadem tempestate in ejusdem Aræ maximæ altiori gradu duo dumtaxat ponuntur cerei. Hos affirmant aliqui duos ex discipulis repræsentare, qui Christum Dominum sequuti sunt usque in atrium Principis, ut ex D. Joann. cap. 18. n. 15. At alii alitèr opinantur, illos nimirùm ibidem locari, ut Feriæ supradictæ Majoris hebdomadæ ab aliis feriis distinguantur; siquidem simplici feria ad horas canonicas dumtaxat unicus cereus de veteri hujus Basilicæ consuetudine super eandem maximam Aram accenditur. Qui mos forsitan originem sumpsit ex consuetudine illarum Eccesiarum, ubi candelabrorum numero Festivitates distinguebantur, ut notat Macr. in not. vocab. Ecclesf. verb. candela, ubi Festum septem candelabrorum vocabantur aliquibus in Ecclesiis festivitates primæ classis; Festum quinque candelabrorum illæ secundæ classis; proindeque numerus unius candelabri feriam simplìcem designabit. Observandum etiam est hîc quod in altero ex prædictis gradibus, per quos ad Sanctuarium ascenditur singulis tertiis Dominicis cujuslibet mensis in missa solemni de veteri more duo ex Canonicis ad augustissimi Corporis, & Sanguinis Christi elevationem sustinent intorsticia. Post verò Missam quatuor ex Canonicis deferunt baldachinum, dum circa Basilicam fitprocessio ejusdem Divinissimi Sacramenti. Supra hos etiã gradus ad offertorium præmemoratæ Missæ solemnis locatur pollubrum ad excipiendas oblationes. Porrò morem hunc offerendi oblationes ex antiquitate fluxisse non est ambigendum: Veteres quippe Christi-fideles tempore offertorii panem, & vinum offerebant, prout Romanus Ordo demonstrat; quinimo dedecebat S. Communionem suscipere non facta prius oblatione, ut inquit D. Augustinus Serm. 215. de temp. ubi *erubescere debet homo idoneus. Si de aliena oblatione communicaverit*: In Ecclesia Mediolanensi adhuc hodie mos viget, juxta Missale Ambrosianum, offerendi panem, & vinum; etenim duo senes ex parte Virorum offerunt tres hostias, ac unam lagenam vini albi, quod idem servatur ex parte Fæminarum, ut notat laudatus Macr. not. Ecclesf. verb. oblatio.

25. Sancta Sanctorum, nempè locus ubi est Ara maxima, cujus frons non Tribunam, sed Chorum, & Populum respicit. Hac in Ara magna Crux attollitur, è qua pendet Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi æneum simulacrum. A dextris suprà marmoream basim assurgit æneus Angelus habens in manibus æneum candelabrum; à sinistris pariter alter consurgit æneus Angelus cum alio æneo candelabro. Quæ omnia fuerunt à Joanne Bologna eleganti artificio elaborata, Crux verò cum Redemptoris imagine fuit ab Archiepiscopo Carolo Puteo Ecclesiæ dono data, prout exhibet inscriptio in stylobate ejusdem Crucis expressa. Cujus tenor est ita.

Post Sacras Ædes ab incendio restauratas
Jesu Christi Crucifixi liberatoris Imaginem
Carolus Antonius Puteus Archiepiscopus
erexit, & dono dedit anno M.D.C.II.

De hoc Basilicæ incendio hæc habentur. Anno 1595. Stylo Flor. ac 1596. more Pisano die 15. Octobris cujusdam artificis incuriâ prunæ, quæ inservierant pro reaptandis laminis

plumbeis tecti Basilicæ, relictæ fuerunt non penitus extinctæ in angulo laquearis; noctu ventu efflante ignis ex ipsis crevit, eoque devenit, ut quicquid erat laquearis, tectique Medianæ Navis ad Tholum usque, veluti maturam segetem flamma populari solet, ita totum brevi depastus fuerit. Proindeque in Mediana majori Navi plura notatu digna etiam marmorea flammis, & trabibus collabentibus contrita sunt, inter quæ, ut infra memoravimus, sepulcrum Sum. Pontif. Gregorii VIII. prope regiam januam â dextris introeuntium, ut notas Canonicus Tottus in M.S. prominens; Ea verò, quæ in choro, & in brachiis Ecclesiæ reperiebantur illæsa remanserunt, ut complura ex illis adhuc hodie ibidem existentia, testantur. De hoc incendio multa refert P. Rhò Soc. Jes. in Sab. Marian. edit. Roman. sub ann. 1655. pagin. mihi 704. Hoc in loco dicendum foret de compluribus præstantissimorum virorum tabulis, quibus hæc Tribuna exornatur; at quod alibi separatim illas exposuerimus, earum enarrationem omittemus.

26. Scala parva instar cochleę, quâ itur ad suggestum, seu locum, ubi Sacræ Reliquiæ asservantur; quæ omnes sunt suis inclusæ thecis ex argento, vel Corynthio ære deaurato conflatis. Harum catalogus est ita. In prima argentea theca auro, gemmisque distincta continentur quatuor spectabiles particulæ de ligno SS. Crucis, quas huic Basilicæ D. Bernardum dono dedisse ajunt. Crux ænea illi proxima est cum Imagine Redemptoris; Hæc ad Pisanos divinitus faciem convertisse dicitur in Hierusalem expugnatione, ut inferius insinuabimus. Postmodum occurrit theca, ubi inest de B. Virginis Mariæ veste, ibidemque asservatur vasculum de sanguine, qui ab Imagine ejusdem B. V. per miraculum emanavit. Deinde sequuntur cæteræ Sanctorum Reliquiæ nimirum Caput, & manus Sancti Bartholomæi Apostoli. Brachium Sancti Andreæ Apostoli, è quo pendet inscriptio in argento, de qua infra. De Ossibus S. Jacobi Apostoli. Os Sancti Simonis Apostoli; Mentum Sancti Lucæ Evangelistæ. Brachium cum parte alterius brachii Sancti Stephani Prothomartyris, ac de lapidibus, quibus fuit lapidatus. Corpora Sanctorum Felicis, & Reguli Martyrum. Corpora SS. Ephysi, & Potiti Martyrum. Corpora SS. Bonifacii, & Peregrini Martyrum. De ossibus SS. Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis Martyrum, quorum Corpora prædicta marmorea urna teguntur, ut in pag. 29. Crus Sancti Clementis Papæ, & Martyris, cujus duæ sanguinis guttæ alibi servantur, ut infra pag. 37. De capite, ac de aliis ossibus S. Donati Episcopi, & Martyris. Costa S. Cosmæ Martyris. Costa Sancti Damiani Martyris. Crus Sancti Tersiconis Martyris. De ossibus Sancti Epiphanii Episcopi, & Martyris: Crus Sancti Russoris Martyris. Os Sancti Ruffi Martyris. De ossibus SS. Tiburtii, Valeriani, & Maximi Martyrum. Ossa quędam de decem millibus Martyrum. Cranium S. Joannis Chrysostomi Episcopi Confessoris, & Ecclesię Doctoris. De ossibus Sancti Raynerii Confessoris Pisani, cujus corpus alibi hac iu Basilica quiescit, ut supra pag. 33. exhibuimus. De ossibus Sancti Guidi Confessoris Pisani, cujus corpus pariter alibi hoc in Templo asservatur, ut infra pag. 45. Brachium B. Michaelis Confessoris. De Tunica S. Dominici Confessoris. De ossibus Sanctę Reparatę Virginis, & Martyris. De ossibus Sanctæ Restitutæ Virginis, & Martyris. De ossibus Sanctæ Apollonię Virginis, & Martyris. Crus Sanctæ Agatæ Virginis, & Martyris. Costa Sanctæ Margaritæ Virginis, & Martyris,

Men-

Mentum, ac de aliis ossibus Sanctę Barbaræ Virginis, & Martyris. De ossibus Sanctę Reinæ Virginis, & Martyris. Brachium Sanctæ Ubaldeschę Virginis Pisanæ. De ossibus S. Praxedis Virginis. De ossibus S. Bonæ Virginis Pisanę. De ossibus S. Annę Matris Deiparę Virginis Marię. Digitus, ac de capillis Sanctæ Marię Magdalenę. Crura S. Elenę. Una ex lapideis Hydriis, ubi in nuptiis Canę Galileę aqua fuit in vinum conversa. Pręmemoratis reliquiis addam alias alibi hac in Basilica asservatas, videlicet de Sepulcro Christi Domini, De Mensa ejusdem Servatoris. De Monte, ubi fuit idem Dominus Crucifixus. De Monte Sina. De lapide, ubi fuit decollatus D. Joannes Baptista. De laminis, quibus torquebantur Martyres. Plures etiam alię Sanctorum reliquiæ hac Sacra in Æde visuntur, quorum nomina penitus perierunt, proindeque illas omittere necesse fuit. Supradicta inscriptio è Divi Andreę Apostoli brachio pendens hęc habet. *Nil incredulitatis*. Siquidem vir quidam Nobilis exterus, ut audivimus à viris fide dignis, prędictum Apostoli os aspiciens illud tale esse negavit. Nocte verò consequenti alterum ex illius brachiis gravissimo dolore percussum rem illi aperuit, veritatemque ostendit; Proindeque ad Basilicam convolans, ac de sua incredulitate dolens humilis ad eundem Apostolum precibus effusis pristinam sanitatem recepit; ac in tanti beneficii memoriam monumentum illud cum proprio nomine ibidem posuit anno 1656.



Angelus æneus, et Capitellum marmoreum porphyreticę columnę pro Cereo Paschali Basilicæ Pisanæ; quorum altitudo cum integra columna XXIV palmis expletur.

Ioseph et Franciscus Melani delin. Arnoldus Van Westerhout Sculp. Romæ Sup. perm.

27. COLUMNA porphyretica, cujus capitellum marmoreum figuris, aliisque ornamentis insigne fuit exculptum, ut ajunt, à prædicto Francisco Stagio de Petrasancta. Insidet huic capitello æneus Angelus æneum pariter substinens candelabrum pro Cereo Paschali. Stuldus Laurentius Florentinus hunc Angelum anno 1583. affabrè elaboravit; cujus exemplum cernes in Tab.8. De veteri ritu locandi Cereum Paschalem supra columnam hæc habet inter cætera eruditissimus vir Dominicus Macrus in suo Hierolexic. verb. cereus Paschalis. *Accendebatur*, inquit, *tunc cereus super candelabrum lapideum in forma columnę, ut scriptores illius sæculi narrant, & adhuc bujusmodi candelabra in antiquis Galliæ Ecclesiis, ac Romæ visuntur, ut in S. Paulo extra muros columna est, quæ inserviebat pro cereo, hodie extra bujus Ecclesiæ portam exparte tribunæ crucem sustentans erecta perspicitur, in cujus basi hi versus leguntur.*

Arbor poma gerit, arbor ego lumina gesto.
Porto libamina, nuntio gaudia, sed in die festo
Surrexit Christus; nam talia lumina præsto.

In S. Cæcilia Transtyberis adhuc extat pro sustentaculo cerei alia similis columna, & in præmemorata Basilica S. Clementis cernitur & altera prope ambonem.

Viget quoque mos hac in nostra Basilica præter Cereum Paschalem deferendi processionaliter in Sabbato Sancto duos alios cereos minores ex cereo majori accensos ad denotandum, quod Apostoli à Christo illuminati per totum mundum Evangelii nitorem diffudissent, ut notat Alcuin. de Divin: Off. cap: de Sab: de quo etiam laudatus Macrus ubi supra.

28. Cathedra, seù sedes Archiepiscopalis nobilis sculptoris artificio cum subselliis pro Canonicis assistentibus. De Pisanorum Pontificum serie infra compediose egimus, nam fusè & eruditè pertractavit laudatus Ughellus de Ital. Sac. tom.3.

29. Ostium Chori, ad septentrionem, ubi locantur cancelli.

30. Scala marmorea, qua pergitur ad alium ambonem in parte australi positum. Hic peculiari observatione dignus videtur duplex ambon, quippe qui ibidem ritum extitisse vetustissimum denotat, quo Diaconus Evangelium lecturus, modò ad Aquilonem, modò ad Austrum convertetur, ut Romanus ordo declarat -- *Ipse verò Diaconus stat versus ad Meridiem, ad quam partem viri solent confluere; alias autem ad Septentrionem.* Undè si Ecclesia virorum numero adeò referta erat, ut ipsi non solùm Navim ad Austrum positam, verùm etiam medianam replerent, tunc Diaconus se ad Aquilonem vertebat, & è conspectu Fæminarum simul, & Virorum, qui media in Navi versabantur Evangelium legebat. Si verò pauciores viri fuissent, & Navis ad Meridiem sita omnes caperet; tunc Diaconus in ambone ad Austrum posito, ac in eandem plagam versâ facie Evangelium recitabat: ut notat sæpè laudatus Ciampinus de veter. mon. par. 1. cap. 2. pag. mihi 23. Ritus hujusmodi antiquitùs, ut diximus promiscuus erat, proùt sese offerebat occasio; postmodum verò certus factus est, ut legentis facies ad Aquilonem tantùm respiceret, proùt hodiè servatur.

31. Altare Sanctissimæ Virginis, quam alii occultam, alii vulgo *di sotto gl'Organi* appellant. Hæc Imago, ut ex vetustissimis eruitur, à Pisanis reperta fuit in majori Ecclesia cujusdam Castri nuncupati *Lombrici;* & inde in Pisanam Ecclesiam adducta ac sub Organo collocata, quæ postmodùm hunc in locum translata fuit: Ipsam, ajunt, opere semianaglypto à Divo Luca in tabula fuisse sculptam. Eadem singularia quotidiè beneficia elargitur; ab anno tamen 1596. quo Ecclesia magnâ ex parte, ut ostendimus conflagravit, nullus est, qui eam se vidisse testetur; feruntque pœnas eos luisse, qui ausi sunt id tentare, ut notat P. Rhò in dd: Sab. edit. Rom. an. 1655. fol. 741. In tabula externa sub eadem Imagine reperiuntur quinque dumtaxat Sanctorum Pisanorum figuræ, nempè Raynerii, Guidi, Torpetis, Bonæ, & Ubaldeschæ à Francisco Corrado Florentino depictæ, cum omnium Beatorum concivium Imagines admodùm difficilè esset ibidem delineare numerum centenarium, ut fertur, excedentium. Sub hujus

jus Virginis patrocinio erecta est Canonicarum sodalitas, cujus initii memoria non extat, ut in Bullis Summorum Pontificum Leonis X. & Clementis VIII. satis clarè ostenditur. Huic sodalitati ferè omnes Matronæ Pisanæ sunt adscriptæ. Suum quoquè nomen dare non est dedignata Serenissima Magna Dux Victoria, quam suprà memoravimus.

Libet hîc exponere nonnullos versiculos, qui cantu Gregoriano post Antiphonam Salve &c. singulis sabbatis Quadragesimæ dicuntur. Hos ajunt à Divo Bernardo fuisse lucubratos; & sunt.

Virgo Mater Ecclesiæ æterna porta Gloriæ esto
Nobis Refugium apud Patrem, & Filium.
Chor. ℟. *o Clemens*
Virgo Clemens; Virgo pia; Virgo dulcis ò Maria
Exaudi preces omnium ad te piè clamantium.
℟. *ò Pia*
Funde preces tuo Nato Crucifixo, vulnerato,
Pro nobisq; flagellato, spinis puncto, felle potato.
℟. *ò dulcis &c.*

32. Locus vulgò dictus, *lo Spogliatojo*, ex quo ibidem Canonici vestimenta reponunt: ibi asservatur sacra suppellex Archiepiscoporum, & alia sacra nobiliora indumenta; Ibi reperiuntur plura auro, argentoque intexta Pluvialia, Planetæ, Tunicellæ &c. inter quæ sunt Sacræ Vestes Archiepiscoporum Caroli Putei, & Francisci Ex Com: Ilcii ob auri copiam pretiosissimæ. Sunt & aliæ non minoris valoris Archiepiscopi Juliani de Medicis nempè duę planetę, quatuor tunicellę cum pallio, ac novem pluvialibus magnis, & quatuor semipluvialibus pro clericis inservientibus ex holoserico villoso auro contextæ. Asservatur etiam ibidem magnum variis sericis figuris exornatum pluviale, quo Summus Pontifex Gelasius II., ut ajunt, usus fuit in hujus Basilicæ consecratione. Reponuntur quoquè omnia ejusdem Sacrę Ædis parietum paramenta ex holoserico villoso rubeo aureis lineis distincto. Item custoditur pars ornamenti, vel fascię quo extrinsecus Basilica hæc diebus solemnibus sponsæ ritu cingebatur, qui mos apud Græcos, ut audivimus, nunc quoque viget; de quo etiam Ecclesia hym: dedicat Eccl. ubi Cælestis Urbis Hierusalem ornamentum constare dicitur mille Angelorum millibus. Eodem in loco servatur etiam vexillum rubeum cum cruce albâ obtusis capitibus, quo ejusdem Basilicæ Clerus utitur in solemnibus processionibus. Hoc sanè inter cætera religionis Catholicæ testimonia, quibus hæc Basilica enituit, extrema non obtinet. Siquidem Summi Pontifices Benedictus VIII. & Gelasius II. ob egregiè navatam operam tùm in expugnatione Insularum Balearium; tùm in aliis insignibus victoriis de Saracenis reportatis eisdem Pisanis rubeum Vexillum concessere. Ut notat Abb. Constantinus Gait. in vit. Gelas. fol. 101. & Laurentius Bonincontrus Hist. MS. in Biblioth. Vatic. ubi: *Cum sciret*, nempe prememoratus Gelasius, *Pisanos pro adeptione Majoricæ multa expendisse, auxisseque fidem Christianam in tantæ rei premium Baleares eas Insulas in feudum ejusdem Pisanis concessit; donatque eos Vexillo rubeo (confirmat inquam, cum antea Benedictus VIII. anno* 1012. *sanguineum idem Vexillum concesserit) cum Cruce argentea obtusis capitibus.*

33. Monumentum Uladislai Ducis, ac Domini Texinen., qui Pisis obiit anno Domini 1356. mense Aprilis ut notat Tronc fol. mihi 379.

34. Scala, qua pergitur ad partem Superiorem Ecclesiæ.

35. Tabernaculum ligneum auro tectum, ubi asservatur Sanctissimi Crucifixi Imago in ligno exculpta. Hanc extitisse ferunt in pulpito quando D. Thomas Aquinas in hac Basilica concionem habuit ad Populum. Ferunt etiam multa per eam miracula Angelicum hunc Scholarum Doctorem patrasse.

39. Janua lateralis.

37. Sacellum Sanctissimæ Virginis ab Angelo Salutatæ variegatis marmoribus eleganter à Stagio de Petrasancta elaboratum. In medio Tribunæ albo ex marmore visuntur Adam, & Evæ effigies opere anaglypto expressæ. Suprà eminet Pater Æternus Angelorum multitudine circumdatus; Hinc Beatissimæ Virginis Mariæ; illinc Angeli Gabrielis simulacra consurgunt. Extra Tribunam hinc atque hinc attolluntur statuæ SS. Mariæ Magdalenæ, & Christinæ. Supra Tribunam imminent duo simulacra Religionem, & Fidem, vel utrasque Ecclesias, ni

ni fallor, exprimentia, in quorum medio astat Angelus stemma, ubi insculptum est nomen Jesu Christi, manibus tenens. Hęc omnia, exceptis duobus prædictis SS. Magdalenæ, & Christinæ simulacris utpote à Fancello exculptis, fuerũt per memoratum Moschinum sedulò absoluta. In loculamento superiori Deiparæ Virginis, & Gabrielis Angeli effigies musivo artificio compositæ sunt opera à Vicinio Pisano diligenter elaborata. Marmorei gradus è pavimento Basilicæ ad planum sacelli ducentes exornantur nobilibus, ac pretiosis balaustris cum suis parastatis, ubi varia stemmata mirâ arte segmentata, lapidibus croceis, & rubeis cernuntur. E mensa Altaris assurgit elegantissimum, ac pulcherrimum Ciborium seu Tabernaculum augustissimæ Eucharistię ex argento purissimo conflatum, ac tribus argenteis Angelis suffultum ex proplasmate Jo: Baptistę Foggini Florentini. Hujus operis valor una cum tribus Angelis illud sustentantibus, ac duobus Aræ gradibus, ubi divina nostrę Redemptionis Mysteria semianaglypto opere in argento efformantur, & aliis argenteis ornamentis, vigintiquatuor millium aureorum summam explet. Hujus Sacelli parvam iconem habes in Tab. 5. & 7.

38. Hoc propè sacellum sub Navibus minoribus hærent parieti quatuor magnæ Tabulæ cum suis marmoreis ornamentis. Harum duę positę sunt in ejusdem sacelli latere dextero, duæ in sinistro. Ex his, quę sunt à dexteris, alteram, quę repręsentat Jesu Christi Nativitatem Aurelius Lomius Pisanus coloribus egregiis expressit; alteram, quę Christum inter Doctores disputantem indicat, Petrus Sorius Senensis effinxit. Aliæ verò duę, quę sinistram occupant partem ejusdem Lomii sunt opus. Harum altera Magorum Regum adorationem; altera Servatoris Circumcisionem exhibet. Hę quatuor tabulę fuerunt positę pro quodam initio; nàm totius Ecclesię parietes paramentorum loco, hujusmodi tabularum ornamento decorari debuerant.

30. Altare Sanctorum Apostolorum, ibi reperitur Salvatoris Imago cum Apostolis egregiè à dicto Aurelio Lomio depicta. Subtèr tabulam asservantur duę ex tribus sanguinis guttę Divi Clementis Papę, & Martyris, cum tertia surrepta fuerit. Divus enim Clemens B. Petri Apostolorum Principis admonitu Aram lapideam prope Pisas ab eodem Petro jam erectam consecravit, ac dum sacro crismate eam illiniret, de ipsius naribus tres guttæ sanguinis super illam distillaverunt. Hę sanguinis guttę pluries quotannis publicę exponuntur venerationi, illęque absque ullo vel vitreo operimento tectę ab omnibus deosculantur; ac non sine magnâ inspicientium admiratione etiamnùm integrę visuntur lapide circa easdem aliquantisper consumpto. Singulis quoque annis prememoratæ guttę ad D. Petri Ecclesiam, vulgò: *S. Piero in Grado* (hoc est ad gradum maris) nuncupatum, ubi prędicta Ara reperitur processionaliter deferuntur, scilicèt Feria V. majoris hebdomadę; in Ascensione Christi Domini: Et in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli; ac in eâdem, quam supradiximus, Arâ, eodemque, ubi miraculum contigit, in loco ob rei memoriam collocantur. De his plura referunt Vivian. de jurepatr. lib. 3. cap. 2. num. 100. Tronc. ann. Pis. fol. mihi 3. ubi indicatur Codex Pantheon nuncupatus Romę existens in Arch. Castr. S. Angeli Rub. de Consec., cujus verba sunt hęc videlicet. *B. Petrus Apostulus Primum Altare marmoreum in Italia erexit cum transfretavit circa littora Pisanorum, ubi hodiè dicitur Ecclesia S. Petri ad Gradus, quam Ecclesiam consecravit PP. Clemens I. qui dum Altare lapideum ibi crismate illinivit, tunc de ipsius Papæ naribus tres guttæ sanguinis super ipsam Altaris mensam distillaverunt, &c.*

40. In ambulacro proximo est Altare D. Raynerio Sacrum, ubi in tabula marmorea prominet Beatissimę Virginis effigies quum D. Raynerio in Civitate Tyri commoranti in somnis apparuit, significans ipsi in suo gremio (nempè in majori Pisana Ecclesia) fore ut quiesceret. Hanc tabulam opere anaglypto albo in marmore una cum marmoreâ urnâ egregiè efformavit Linus Senensis. Ornamentum ejusdem Arę paritèr eleganter elaboratum est; nam præter varias cælaturas duæ columnæ assurgunt è viridi Lacædemoniorum lapipe. Hac in Ara antiquitùs asservabatur Ven. Corpus præmemorati Sancti Raynerii. Nunc, cum illud anno 1688. die 25.

Mar-

Martii stylo Pis. in suprà relatam pulcherrimam urnam translatum fuerit, Sancti Guidi Pisani reliquiæ asservantur.

41. In magna, & non procul hinc existente parastatâ Tabulam D. Antonii Patavini elegantèr pinxit Petrus de Cortona. Alteram D. Agnetis memoratus Andreas dictus *del Sarto* una cum illâ orbiculari tabulâ desuper posita coloribus egregiè temperatis delineavit. Alias verò tabulas nimirùm illam Beatissimæ Virginis Filium amplexantis, & alteram Sancti Andreæ Apostoli Crucem ferentis Joannes Antonius Solianus expressit.

42. Altare Angelorum nuncupatum, ubi exprimitur Æterni Patris Imago cum pluribus Angelorum Choris. Hanc tabulam Salimbenus Senensis apprimè depinxit. Ornamentum verò marmoreum fuit à supra laudato Michaele Angelo Bonarota, ut ajunt, delineatum. Hoc etiam in loco voluit Artifex æterni Patris antiquitatem indicare, cum sub humana, ac senili figura eundem effinxerit; ita & Angelorum pulchritudinem ostendere, quum illos sub humana, ac juvenili specie delineaverit; qui licet compluribus apparuerint in specie corporali, non tamen in corporis humani veritate.

43. Altare Sanctorum Martyrum, ubi plures SS. Martyrum cætus perpolite ab insigni viro Dominico Passiguano fuerunt efformati; Ornamentum ex marmore ab eodem Bonarota, ut fertur, delineatum.

44. Altare vulgò *de Confessori* vocatum: Ibi plures Sanctorum Confessorum Imagines cernuntur per Joannem Baptista Paggium Januensem haud inelegantibus coloribus expressæ.

45. Propè Majorem januam duo Archiepiscoporum, nimirùm Juliani Medici & Matthęi Rinuccini admirabilis cælaturæ sepulcra consurgunt.

Minoribus januis in parte interiori eminent duorum Summorum Pontificum monumenta, quorum alterum nempè illud supra Januam introeuntium dexteram, Summi Pontificis Gregorii VIII. obitum exprimit. Anno siquidem 1187. ut refert Ciaccon. in Vit. Sum. Pont. lib. 1. pag. mihi 1131. Res Christianæ in Palæstina Saracenorum jugo oppressę Principum opem implorabant. Hic Pontifex ad omnes Principes legatos misit, qui eorum corda ad Sacram Orientis expeditionem suscipiendam impellerent. Tunc temporis inter Rempublicam Pisanam, & Januensem maximæ dissidiæ vigebant, quarum causa timebatur, ne & ipsi Pisani, & Januenses, qui plurimum in re militari pollebant, ab hujusmodi sacra expeditione abstinerent. Idcircò, ut eorumdem animos pacis tranquillitate sedaret Gregorius Pisas perrexit; ubi à cuncta obviam effusa civitate amplissimo honore exceptus fuit. Dum ibidem Summus Pontifex totis viribus ad inimicitias inter eosdem Pisanos, & Januenses componendas incumberet morbo correptus prædicti anni 1187. die 15. Decembris totius nedum Civitatis, sed Orbis totius mærore mortuus est, & in hac Primatiali Ecclesia solemni pompâ sepultus. Verùm cum anno 1595. die 15. Octobris eadem Ecclesia non exigua, ut diximus, ex parte igne flagrasset propè locum, ubi ejusdem Pontificis sepulcrum flammarum voracitate consumptum fuit; ne tanti Pontificis memoria aboleretur, sequens epigraphe suffecta est,

D. O. M.

Gregorius VIII. Pont. Max. de Sancta Urbe Hierusalem recuperanda sollicitus summis viribus bellum adornat adversus fidei perduelles. Pisanos Genuensibus conciliaturus. Ferraria huc migrat, ut Cives maritimis copiis Florentissimos, Ecclesiæque fidelissimos in sacram expeditionem mox sibi conjungat; Magnum facinus invidente morte Pisis obiit XVII. Kal. Jan. A. S. MCXIIIC. ingenti cum dolore Christianæ Reipublicæ, cui tantam gloriam prospiciens dies solum præfuit LVII. residua mortalitatis pignora hoc ipso loco sepulta Camillus Campilia Ædituus ad redivivam memoriam funesto posito lapide veneratur. A. D. M. D. C. LVIII.

Alterum verò monumentum supra proximam à sinistris introeuntium januam Clementis III. electionem ostendit; Anno quippè 1188. ut referunt præmemorati Baronius in ann. Eccles. an. 1188. n. 1. & Ciacconius in Vit. Summ. Pont. lib. 1. fol.

1136

1136. cùm suo Universalis Ecclesia viduata esset Pastore hâc in Basilica S.R.E. Cardinalis Paulus de Scolaribus, acclamatione Patrum, apertisque suffragiis Summus Pontifex eligitur, & Clemens III. nominatur; ibique etiam suæ Coronationis insignia suscepit ab Hyacintho Bobone Romano S. R. E. Archidiacono. Ne tanti decoris splendor extingueretur sequens gloriæ monumentum positum fuit.

D. O. M.

Anno salutis M. C. LXXXVIII. Clemens III. hac in Ædæ maxima Pontifex creatur Max. faustissimo Apparitionis die tribus ornato miraculis ad trini Sanctitatem Imperii vocatur. Postridie coronatus apparet. Pisana Ecclesia Gregorii VIII. decessoris immaturo obitu Theatrum modo funeris suffecti Clementis III. auspicali pompa in sedem vertit augustam lætitiarum. Utrique par & Coronis, & Cineribus Maximorum Camillus Campilia Ædit. Pietatis, & Gloriæ monumentum locavit.

Tab x



Tribuna maior Basilicae Pisanae

De Abside, & Choro.

CAP. VIII.



XORDIUM iterum sumendo à Basilicæ abside, seù Tribuna. Hęc hemicycli formam præseferens, ut diximus, ad palm. 100., & ampliùs assurgit. In medio hujus absidis fornice lucida auri scobe consperso humani generis Salvator Christus Dominus musivo opere coruscans oblongo scamno pulvinari cooperto insidet gemmis undequaque conspicuo. Ejusdem Redemptoris caput pretiosi diadematis nimbo coronatur, in quo rubea Crux est. Illius dextera benedicentis more elevatur; sinistra verò reseratum codicem tenet sinistro genu inixum, ubi sunt verba. *Ego sum lux mundi*. Vestis exceptâ purpureâ tunica versicolor est; nam ubi ex umbris obscurior est, cæruleus, seù violaceus, ubi verò clarior, aureus color apparet. In tunicæ limbo hęc verba opere musivo expressa sunt. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. In ejus scabello subter pulvinar strati Leones, ad pedes inspiciuntur Serpentes, & Dracones. A dextris astat Beatissima Virgo; à sinistris D. Joannes, ambo diademate redimiti. Non procul eminet pulcherrimus triumphalis arcus, ut superius exposuimus. In hujus fastigio locatur nobile Crucis trophæum, quod etiam & ipsum Victorem Christum denotat. Inferius gradatim hinc inde Angelorum cætus exprimuntur. Sub illis veteris Testamenti plura monimenta misticè eundem Redemptorem significantia repræsentantur. In fine arcus quatuor novi Testamenti Evangelistæ visuntur; ex uno nimirum latere Marcus, & Matthæus; ex altero Joannes, & Lucas. In medio Tribunæ sub præmemorata Redemptoris effigie eleganti in marmoreo loculamento, ut indicavimus, Virorum, & Fæminarum fortium, qui pro eodem Redemptore strenuè occubuerunt, pretiosi Cineres asservantur. Ex utroque Tribunæ latere egregiis coloribus delineata cernuntur illustria facinora plurium veterum Patrum, qui in eundem Christum Regem venturum crediderunt. In aliis ejusdem Tribunæ locis ipsius Redemptoris gloriosissima gesta pulcherrimis coloribus ostenduntur. Extrà Tribunam; propè triumphalem Arcum in tabula magna cernitur præclarum Orthodoxæ Religionis trophæum. Ibi siquidem Ecclesiæ Pisanæ ex Infidelium spoliis, ut ostendimus, ædificatæ exprimitur consecratio per Summum Pontificem Gelasium II. maxima pompa celebrata, ut ibidem in appensa tabula legitur, cujus verba sunt hæc.

Templum hoc, ut auctæ potentiæ, ac Religionis insigne monumentum posteris extaret, à Pisanis è Saracenorum spoliis capta Panormo ædificatum, ac Sanctorum Reliquiis à Palestina usque adductis auctum, Gelasius Secundus Pontifex Maximus solemni pompa consecravit anno D. M.CXIX.

In adverso è diametro parietum latere alter opponitur non exiguus Christianæ Fidei triumphus. Nàm ibi subacta divinitùs in insulis Balearibus Saracenorum potentia eorundem barbarorum Regis uxor cum filio captiva ducitur post Archiepiscopum Pisanum, qui cum suis Canonicis, ac Populo Pisano Urbem ingreditur triumphans, ut ibidem ex publica inscriptione ostenditur; videlicet.

Paschale II. P. M. auctore Pisani classe CCC. Triremium comparata Petro Archiepiscopo Pisano Duce Baleares Insulas profligatis tis Saracenis in ditionem redigunt, Christianoque nomini adjungunt, captaque regia conjuge, ac filio præclaram victoriam illustri, pioque triumpho exornant A. D. M.C.XV.

Parietes etiam Presbyterii Christianæ Religionis trophæis illustrantur, nàm ibidem plurium Virorum effigies, qui vel sanguine, vel scriptis illustre fidei testimonium ediderunt appictæ conspiciuntur. In superiori deniquè area suprà triumphalem arcum visitur imago Beatissimæ Virginis Mariæ ab Angelo salutatæ; quæ ut origo tanti triumphi, tantæque lætitiæ causa meritò & jure in illa parte collocatur. His prænotatis præstan-

stantissimos viros, qui eas Tabulas, ut fertur, delinearunt breviter liceat percensere; Ne tamen dicendi brevitas, ac figurarum copia perspicuitati officiat, omnes easdem tabulas tàm absidis, quam triumphalis arcus tribus ordinibus distinctas sex in partes dividam. Harum tribus lateri dextero; tribus verò sinistro assignatis exordiar, ut par est, ab iisdem fornicis imaginibus; deindè ad superiores unius lateris deveniam, postmodùm ad inferiores gradatim descendam similem ordinem etiam in altero latere servaturus. In fornice itaque prægrandis illa Salvatoris imago cum cæteris ornamentis fuit opere musivo à celeberrimis viris Jacobo Torrita Ordinis S. Francisci, Gaddo Gaddi Florentino, & Vicino Pisano apprime elaborata; B. Virginis effigiem idem Vicinus expressit Divum verò Joannem ab aliis inceptum anno 1321: idem Vicinus absoluit. In primo tabularum ordine lateris introeuntium dexteri tabulam, ubi Abraham tres Angelos hospitio recipit, artificiose pinxit Joannes Stephanus de Marucellis. Altera post illam sequens, ubi Sampson asini maxilla Philisteos in fugam vertit, est opus egregium Horatii Riminaldi Pisani. Aliam huic proximam, ubi visitur cæna Regis Assueri accuratè elaboravit Cosmus de Gambaruccis. In linea secunda tabulam, ubi Elia sedet sub umbra Juniperi cum Angelo eidem cibum afferente, Rutilius Manettus Senensis delineavit. Illam Moysis in rubro cum Domino colloquentis expressit Matthæus Rosellius Florentinus. Aliam verò post illam ejusdem Moysis saxum percutientis, è quo emanat aqua, eques Guidottus Lucensis diligentèr efformavit. In 3. ordine tabulæ, ubi assurgunt Evangelistæ Matthæus, & Marcus, fuerunt à Mecherino Senensi, nempè Dominico nuncupato *Beccafumi* mirabilitèr expressæ. Alia ubi Core, Datan, & Abiron terra sunt absorti, & illa Moysis Legis tabulas frangentis; ac altera illi proxima, ubi repræsentatur Nadab, & Abiu igne consumpti opera sunt miranda ejusdem Mecherini Senensis; Caim verò in extremo loco depinxit Jo: Antonius Solianus Florentinus. Tabula in medio seorsìm existens Redemptoris Nostri è Cruce depositi jacentis in brachiis Sanctissimæ Genitricis Virginis Mariæ est opus egregii viri Antonii Sod domæ Vercellensis. Angelus marmoreus propè armarium SS. Reliquiarum à præstantissimo sculptore Tribulo Florentino fuit elaboratus; Alter verò cum cæteris simulacris marmoreis, ni fallor, à Silvio Cosino Fesulensi affabre exculptus fuit. Absoluta sectionis dexteræ explicatione, ad aliam adversæ, seù sinistræ progrediamur. Harum tabularum prima in superiori ordine, ubi oblatio panis propositionis ostenditur, est Michaelis Cinganelli Florentini. Aliam, ubi Judith cum capite abscisso Olophernis effingitur, Mattheus Vanninus Florentinus efformavit; Alteram verò eadem in lineâ ultimam, ubi est Cœna D.N.Jesu Christi cum Apostolis, expressit memoratus Guidottus Lucensis. In secundo ordine ejusdem lateris tabula, ubi Moyses ostendit Serpentem in deserto, elaborata est à Dandino Florentino. Alia illi contigua, ubi Christus multiplicat panem turbis est opus elegans Aurelii Lomii Pisani. Alteram verò, ubi Habacuc appræhensus est per crines ab Angelo, Joannes Vilibertus accurato penicillo absolvit. In tertio ordine ejusdem lateris propè sedilia duo Evangelistæ, nempè Joannes, & Lucas, perelegantèr à supradicto Mecherino fuerunt expressi. Tabula illis proxima, ubi pluit manna super turbas est Venturæ Salimbeni Senensis. Altera Sacrificii Abrahami est præmemorati Antonii Sodomæ; Abel ac tabulam Sacrificii Noe eâdem in lineâ ultimam accurate absoluit præmemoratus Joannes Antonius Solianus; hanc postmodum fere deperditam, & quasi fractâ egregiis coloribus restauravit laudatus Stephanus de Marucellis. Tabula magna extrâ Triumphalem arcum, ubi est Saracenorum Regina captiva cum Archiepiscopi, ac totius Pisanæ Civitatis triumpho fuit perpolite à prædicto equite Dominico Passignano Florentino depicta. Alias Sanctorum Petri, & Joannis suprà Canonicorum assistentium subsellia mirabilitèr expressit laudatus Andreas *del Sarto* pro Ecclesia S. Agnetis hujus Civitatis, quæ posteà cum cæteris ejusdem auctoris tabulis eâdem in Ecclesiâ olim existentibus hanc in Basilicam fuerunt translatæ. In parte opposita tabula magna ubi cernitur ejusdem Basilicæ consecratio à

Pe-

Petro Sorio Senensi affabrè fuit delineata. Sub eâdem duæ tabulæ, nimirùm Sanctarum Margaritæ, & Catharinæ ad vivum à prædicto egregio viro Andrea *del Sarto* fuerunt expressæ. Omnes Presbyterii imagines in parietibus appictas Cinganellus, & Dominicus Ghirlandarus Florentini una cum variis ornamentis auro intextis elaborarunt. Horum præstanti penicillo etiam Crux, & Angelorum cætus in triumphali arcu delineati dicuntur. Hìc notanda esset Pictoris solertia in pingẽdo Crucem albam, & visu delectabilem; nisi Crux illa Pisanam Crucem albam exprimeret. Priscis enim temporibus etiam pulchra, & gemmata Crux exprimebatur, siquidem veteres Christi-fideles maximè circumspecti noluerunt in ea imaginem Christi patientis affigere, sed potiùs gemmis, margaritisque ornatam exposuerunt, ut faciliùs inspicientium oculos absque horrore ad se alliceret, qui earundem gemmarum, aurique fulgore perculsi illam venerarentur. Similes gemmatę Cruces adhuc hodiè Romæ visuntur in antiquissima Ecclesia S. Pudentianæ, in Basilica Lateranensi, ac in altera Basilica S. Mariæ Majoris, & alibi, de quibus Casalius de vet. Sac. Christ. rit. par. 1. cap. 1. Verùm ad alia animadversione digna descendamus, & primò libros chori recludamus; Ibi quamplures figuræ variis, & egregiis coloribus cum elegantibus auro mixtis ornamentis mirabiliter expressæ sunt. Canonicorum etiam, quinimò totius Chori sedilia non sunt despicienda. Ibi visuntur opere tessellato pectore tenus Apostolorum, ac Prophetarum figuræ ab insigni viro Joanne Baptista Cervelliera efformatæ: Varii locorum prospectus, ut notat idem Vas. p. 3. pag. mihi 63. à Juliano à S. Gallo Florentino accuratè elaborati: Pluraque animalium genera, & ornamenta ab eisdem prædictis viris eodem opere tessellato egregiè absoluta. Eorumdem quoque Canonicorum habitus loci venustatem non leviter adauget; nam iidem ex immemorabili cappam magnam rubeam cum pelliculis Armellini subsutis hyberno tempore, & ejusdem rubei coloris mozzettam ex privilegio Pii IV. æstate supra rocchettum deferunt. Hìc sacrorum ministrorum Chorum componunt Dignitates numero tres, nimirùm Archipresbyter, Archidiaconus, & Decanus; & Canonici una cum supranumeriis nu. 26. qui Primiceriatus etiam dignitate suo tempore per turnum fruuntur; olim aderat etiam Vicedominatus, prout eruitur ex vetustissimis instrumentis, & ex epistolâ 236. Divi Bernardi asserentis Eugenium III. hâc dignitate potitum. Beneficiati 72. inter quos enumerantur Chori magister, & octo, qui dicuntur Commendatarii, qui omnes æstivo tempore capucium violaceum gestant; tempore verò hiemali cappam violaceam serico rubeo subsuto, cujus loco memoratus Chori magister pellem vulgò *Vai* subsutam defert; Clerici nuncupati caputiantes numero 20. Clerici appellati Nicosienses sex; Clerici, vulgò *del Diciottato* 12. Clerici de Seminario 12. Aliique plures Clerici eidem Ecclesiæ adscripti absque ullo titulo inservientes. Ex prædictorum ministrorum cætu plures exierunt viri dignitate, doctrinâ, morumque sanctitate illustres; è Capitularium siquidem ordine, ut ex veteribus monimentis eruitur, ac in supracitatis codicibus notant Ughellius, & Ciacconius, plures emerserunt Episcopi, Archiepiscopi, & Primates; plures S. R. E. Cardinales, quorum novem nomina sunt hæc: Angelus Acciajolus, Gerardus Gaetanus, Franciscus Moricottus, Raynaldus Ursinus, Ubertus Lanfrancus, Jacobus Columna, Nicolaus Ardinghellus, Gratianus, & Gualandus. Item Insularum Balearium Rex, ut ajunt, Lambertus; Ac insuper duo Summi Pontifices, nimirùm Eugenius III. quem nuper memoravimus, & Alexander III. Summum quoque Pontificem Clementem hujus nominis III. huic Capitularium Collegio non pauci opinantur aggregatum fuisse ex sequenti epistola ab eodem Alexandro III. eidem Capitulo Pisano scripta, quam refert laudatus Ughellius præcit. lib. 3. de Ital. Sac. fol. mihi 472. videlicet.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis V. Archipresbytero, & Canonicis Pisarum Salutem, &c.

D*Evotionis Vestræ literis consueta benignitate, & animi alacritate receptis, quod*

quod dilectum Filium G. Notarium nostrum, sicuti ex relatione dilectorum filiorum nostrorum Gual. Subdiaconi nostri, & P. Canonicorum vestrorum jampridem acceperamus, & postmodum ex eisdem literis vestris cognovimus in Fratrem, & Canonicum Ecclesiæ vestræ ad preces, & interventum nostrum placido animo elegistis, gratissimum gerimus, & valdè acceptum, & exindè affectioni vestræ uberrimas gratiarum referimus actiones in proposita voluntate habentes petitiones &c. Datum Verul: 5. Kal. Maii.

Antiquitùs enim Summi Pontifices cùm primam dumtaxat litteram nominis eorum, qui in epistolis describebantur, sępè sæpiùs exprimerent, sub illa littera P. in prædicta epistola expressa, videbatur comprehensum nomen Pauli, quo nomine idem Summus Pontifex Clemens antequam Apostolicum solium conscenderet appellabatur. Siquidem tunc temporis idem Paulus, ut refert laudatus Ciacconius, familiaris erat ejusdem Summi Pontificis Alexandri III. qui læto animo accipiebat suos familiares inter Ecclesiæ Pisanę Canonicos esse receptos, prout ex prædicta epistola dignoscitur. Horum opinioni videtur favere altera ejusdem Alexandri epistola ab eodem Ughellio relata supracit. lib. 3. de Italia Sacra col. mihi 468. Siquidem idem Alexander eisdem Canonicis scripserat, ut numerum Canonicorum Ecclesiæ Pisanæ conservarent, ac in locis vacantibus ejusdem Ecclesię famosas personas substituere studerent. Proindeque suprамemoratus Paulus cùm esset ea tempestate ipsius Alexandri familiaris, & charus, ac non minùs morum honestate, quàm singulari prudentia polleret, admodum videbatur probabile, quod idem Summus Pontifex Alexander voluerit ipsum inter suos Canonicos connumerari. Tenor supradictæ Epistolæ est ita.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis Canonicis Pisanis salutem, & Apostolicam benedictionem.

QUam celebris, & quam famosa sit Ecclesia vestra, & qualiter usque ad hæc tempora inter Ecclesias Italię fulgeat nomine, nos cum multæ laudis præconio ad memoriam sæpè reducimus, & vos semper ante oculos vestros habere debetis, ut ad ulteriora jugiter videamur proficere, cum posteriora fuerint laudabili memoria commendanda. Unde autem tanta laus, & gloria Ecclesiæ vestræ provenerit si velitis sollicitè cogitare, procul dubio poteritis invenire, quod non tam ædificiis, vel fulgidis ornamentis, quam honestate, & prudentia personarum, quæ ibidem institutæ fuerunt tam celebre nomen, & tam famosæ laudis gloriam acquisivit. Restat igitur providendum vobis, & cum sollicitudine cogitandum, ne tantæ laudis gloriam à vobis, & vestris prædecessoribus conquisitam per improvidam diligentiam, quod avertat Dominus, amittatis, vel quomodolibet minuatis, sed si eam non poteritis adaugere in suo saltem statu ipsam summoperè conservare curetis. Inde est quod prudentiam vestram monemus, mandamus, atque præcipimus, quatenus studiosius attendentes quantis, & quam famosis personis sit vestra Ecclesia indicata, in locis vacantibus ejusdem Ecclesiæ eas personas substituere studeatis &c.

Libet hìc etiam adnectere memoratum Capitulum Pisanum sub Augustissimo Deiparæ Virginis patrocinio ex antiquissimo tempore militasse, prout clara vetustissimis ex instrumentis, & codicibus eruta indicant monimenta; interquę illa octavi sęculi, ex quorum altero, nimirum ex quadam Episcopi Grimoaldi donatione relata ab Ughell. præcit. lib. 3. de Ital. Sac. columņ. mihi 401. elicitur temporibus Præsulum Pisanorum Joannis, Platonis, & alterius Joannis; qui omnes prędicto sęculo octavo vixerunt, Canonicorum congregationem in Pisana Ecclesia sub Sanctę Genitricis Dei, semperque Virginis Mariæ protectione adhuc inclitam, & præclaram extitisse. Verum qualenam fuerit ab usque initio Capitulum nostrum constitutum, aut quo statu sæculis antea elapsis perseveraverit, dicere promptum non est, cum nihil antiquius usque adhuc reperire licuerit prædictis octavi sæculi monimentis; Verisimile tamen haberi potest semper sub iisdem Deiparæ Virginis auspiciis extitisse, suumque desumpsisse initium ex principio Pisani Episcopatus, quem ortum suum habuisse D. Petri tempore, qui D. Perinum anno 44. in Episcopum Pisanum consecravit, ut indicant Chronicon Pisanum, Ughellus dict. Ital. Sac. tom. 3. col. mihi 301., & Tronc.



Tribuna Maior Basilicę Pisanę cum Tabernaculo pro Festiu: SS. Corporis Xpti

& Tronc. pag. 3. Siquidem probabile videtur primos Episcopos elegisse Ecclesiasticos viros, qui in ministerii partem assumpti una cum ipsis Episcopatus negocia pertractarent; quique postmodum in album clericorum primi ordinis adscripti Canonici appellabantur, forte quia certum, & regulatum locum inter alios obtinerent, vel quia secundum regulas rite instituti, dum canon regulam significat, cæteris vivendi normam præberent, ut authoritate Anchar. docet Joannes Kal. in suo Lexico juridico verb. Canonicus.

Addam quoque idem Capitulum Pisanum à pluribus Summis Pontificibus honoribus, & prærogativis auctum, de quibus alibi, ut supra indicavimus. Addam etiam plura ejusdem Capituli probatæ fidei erga S. Sedem existere argumenta, quorum unum, aut alterum obiter subiiciam. Vigebat Sæculo XI. præter Friderici Ænobarbi gravissima bella miserabilem in modum Italiam devastantia, Octaviani pseudopontificis schisma cōtra præd. Alexandrum III. omnium Cardinalium suffragiis electum, exceptis duobus schismaticis, qui dicto Octaviano, cui nomen Victoris inditum fuit, accesserant. Quo postmodum Lucæ Tusciæ Civitatis mortuo, ibidem à schismaticis auctoritate Imperiali fultis substitutus eidem fuit Guido Cremensis, quem Paschalem III. nominavere. Hisce malis accedebat grave in eadem Civitate Pisana exortum schisma inter Villanum Archiepiscopum Pisanum, & Benincasam de Benincasis, qui se Archiepiscopum dicebat pariter Pisanum. Pseudopontifex enim Paschalis, ut diximus, in proxima Civitate Lucensi degens Imperatoris Friderici fautoribus adiutus prefatum Benincasam (quem Malincasam jure idem Alexander III. appellavit) in Archiepiscopum Pisanum consecravit, quum Archiepiscopus Villanus profugus in Insulam Gorgoniam perrexisset, ex quo noluerat unquam recognoscere prememoratum Paschalem, utpote schismaticum, ac in supremam Ecclesię dignitatem intrusum. In hac dira calamitatum serie Pisanorum Canonicorum, & Capituli fidei constantia erga Sanctam Sedem mirabiliter effulsit. Siquidem Summo Pontifici Alexandro omnem opem, & auxilium prestiterunt, ipsumque Villanum Archiepiscopum, expulso pseudoarchiepiscopo Benincasa, in suam Pisanam Sedem revocarunt; ut constat ex pluribus epistolis ejusdem Summi Pontificis Alexandri ab Ughell. ubi supra col. 469. relatis, quarum altera est sequentis tenoris.

ALEXANDER EPISCOPUS
Servus Serverum Dei.
Dilectis filiis Canonicis Pisanis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Literas devotioni vestræ solita benignitate recepimus, & quod Catholicam unitatem diligenter propensiusque foventes schismaticæ pravitatis errorem viriliter impugnatis, & ad revocationem schismaticorum toto studio, & diligentia intenditis, fidei, & fortitudinis vestræ constantiam digne, prout convenit, commendamus, & vobis adepta opportunitate cupimus pro meritis respondere. Rogamus autem universitatem vestram, atq; monemus quatenus sicut bene cœpistis ad expulsionem Malincasæ, & ad revocationem Ven. fr. Archiepiscopi vestri modis omnibus laboretis, & totis nisibus intendatis. &c.

Nec leve ejusdem Capituli probatæ fidei testimonium extitit illud sæculo quindecimo editum. Anno siquidem 1511. inter maximas, quibus afflictabatur Italia, bellorum erumnas non exigui ponderis suscitatum fuit schisma contra Summum Pontificem Julium hujus nominis secundum. Etenim Cardinales nonulli Pisas migrarunt, ut ibidem, Cardinali Bernardino Carvajalo præsidente, Conciliabulum contra eundem summum Pontificem Julium indicerent; Quod ut acceperunt Clerus, & Populus Pisanus iracundia exestuantes non solum probris, & conviciis, sed & armis insequuti sunt schismaticos Patres, qui cum resistere se non posse cernerent Mediolanum infaustum conventum transtulerunt; de quo Battaglin. hist. Conc. pag. mih. 764. Fr. Jo: Pius in hist. viri illustr. relig. Dom. par. 2. col. mihi 108.

Verum ad Chorum revertamur. Locus hic fuit etiam duorum Conciliorum celebratione illustratus. Horum alterum anno 1134. à Sum. Pontif. Innocentio II. fuit convocatum; Alterum verò S. R. E. Cardinalibus an. 1408. indictum, de quibus infra diximus.

Observandum est etiam hîc tabernaculum in præsenti tabula supra maximam Aram assurgens delineatum fuisse pro festivitate SS. Corporis Christi.

Tab. 12 *Vetustissimę ęneę ualuę Lateralis Ianuę Basilicę Pisanę*



Scala Pal. 1 2 3 4

Pandulphinus delin.

De Januis, & Valvis.

CAP. IX.



CUM nostra mens sit, Ecclesiæ Pisanæ partes in lucem publicam dare: aliquid de ejus valvis, earumque iconismis attingamus. Quinque igitur sunt, per quas patet aditus in Ecclesiam januæ, parvula excepta. Harum tres sunt in ejusdem Basilicæ fronte; aliæ verò duæ in lateribus. Primæ tres, ac altera lateralis æneas valvas habent, quæ licèt omnes longam annorum non redoleant seriem; redolent tamèn omnes quid regium, & magnificum, sive magnitudinem cernas, sive cælaturam, vel potiùs anaglyphicum opus, Sacrasque historias, aliaque circà earumdem icones ornamenta inspicias. Ut autem faciliùs ea, quæ dicturi sumus animo, & oculis concipi possint, earumdem valvarum exempla ære incisa ob oculos ponemus. Cum quatuor sint, ut diximus, hujus Basilicæ januæ, quæ æneis valvis decorantur, à vetustioribus exordium sumendum videtur; proindèque lateralis januæ valvarum, cæteras antiquitate præstantium, enarrationem brevitèr prosequemur; nam si singulas, quæ in hujusmodi valvarum narratione, quæstiones insurgunt, examinare vellemus, nimis à brevitatis scopo recederemus. Verùm antequam ad illarum descriptionem deveniamus, quo tempore conflatæ fuerint opere pretium esset demonstrare; sed cum id penitùs ignoretur silere cogimur. Nonnulli tamen Pisis illas constructas autumant; Alii verò aliundè adductas fuisse arbitrantur, at ex Hierosolymis ne,an potiùs ex Insulis Balearibus incerti, licèt illas perantiqua traditio ex his Insulis Pisas translatas, ac Ecclesiæ Pisanæ dono datas confirmet; proùt notat præmemoratus annalium Pisanorum Scriptor Paulus Troncius pag. 56. infrà clariùs apparebit.

Hic verò Lectorem monitum cupio harum valvarum Tabulam, non in paucis differre ab illa per supramemoratum Ciampinium in cit. lib. 1. de veterib. mon. expressâ, non solùm, ex quo illius æris incisor, ut ipsemet monet Ciampinius, in incidendo exemplare perturbaverit ordinem; ea enim quæ sunt ad dexteram posuit ad sinistram, & è contrà; verùm etiam ex quo illius delineator originale minimè fidelitèr transcripserit, ut in sequentibus patebit. Ut igitur genuinum Sacræ historiæ ordinem sequamur, exordium sumemus ab infima areola lateris introeuntium sinistri lit. A. designata, ubi Annuntiatio B. Mariæ Virginis ab Angelo Gabriele facta non solùm figuris, sed verbis exprimitur, videlicet AVE MARIA GRATIA PLENA; ut ex Lucæ cap. 1. n. 26.

B. Secundus iconismus signatus litt. B. laudatam Beatissimam Virginem Elisabeth cognatam suam visitantem exhibet, ut ex eodem Lucæ tex. n. 38. Inscriptio tamen barbara, & obscura est, nempe SLALIZABE. Quæ vox SLA, *Salutatio* exponi debet.

C Tertia area signata lit. C. Nativitatem Christi Reparatoris Nostri designat, de qua prædictus Evangelista Lucas cap. 2. n. 7. Visitur ibi Mons, ac super eum oves, atque Pastores; nec non duo Angeli Domini Nativitatem Pastoribus annunciantes. Subtus verò Maria Virgo, veluti in antro, per quod Præsepe repræsenta-

 tur.

tur. Hoc in loco artificis inscitia ostenditur, dùm ibidem Beatissima Virgo veluti in lecto jacens; ac non procùl mulieres ad illi propinandum cibum intentæ visuntur; cum Deipara Virgo Maria, ut notat Divus Joannes Damascenus Orat. 2. de dormit. Beatæ Mariæ, sicut sine dolore benedictum Filium suum peperit, ita nullos ex partu dolores reservaverit; & quoad obstetrices attinet, quæ ex apocrypho libro de infantiâ Salvatoris desumptæ sunt, nulla, ait Hieronymus, obstetrix fuit; Pannis, inquit Evangelista, involvit Infantem, & collocavit eum in Præsepio, ita in cap. Sancta Romana Ecclesia dist. 15. Molanus de hist. SS. Imag. cap. 27. lib. 2. fol. mihi 125.

D In hoc loculamento signato litt. D. Reges Magi equis insidentes ad Jesum Puerum adorandum accedunt, de quibus S. Matthæus cap. 2. 1. Subter montem veluti in antro idem Artifex causam Incarnationis Verbi; nimirùm, Parentes nostros Adamum, & Evam præcepta Domini contemnentes expressit. Hic notanda sunt eorumdem Magorum regum indumenta; Siquidem omnes equis insident veste talari, pallioque ad instar Casulæ, vel pallii Græcorum superinduto. Caput illorum quodam integumento circumambitur circulum, sive coronam, referente; Subter tegumen hoc visitur, ni fallor, velum, usque ad humeros ad formam cucullæ, vel Fanonis eorumdem Græcorum; quo etiam Summus Pontifex post Albam ornatur, quando solemnitèr celebrat, de quo Innocentius lib. 1. de Myster. Missæ cap. 13. Macrus, ac du Cange in suis Lexicis.

E. Hujusmodi quadratum signatum lit. E ostendit Christi Pueri præsentationem in templo, quam Sanctus Lucas cap. 2. 21. tradit. Hic Beatissima Virgo Unigenitum suum offert, ac Simeon Sacerdos ulnis eumdem infantem rectum super mensam excipit. Propè Simeonem visitur Anna filia Phanuel Prophetissa, cui volumen explicatum in dexterâ solertia Pictoris expressit. Cernitur etiam ibidem templum, cui præponitur porticus, ac præ foribus interioris tabernaculi pendet vas non valdè absimile illis, quibus etiam num utimur in thure adolendo; de quo Divus Paulus ad Hebr. cap. 9. inquit, *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum*. Huic nostro parùm dissimilis visitur iconismus opere musivo expressus in angulo areæ arcus Triumphalis Liberianæ, sive Sanctæ Mariæ Majoris Basilicæ; nam ibi simile vas pendulum cernitur præ foribus ejusdem tabernaculi. Quod etiam conferre videtur ad eruendum harum valvarum aliquod antiquitatis argumentum, cum multa in ipsis contineantur, quæ in prædicto triumphali arcu anno, ut ferunt 433. extructo conspiciuntur.

F Hac in areâ signatâ litt. F. demonstratur, quando Angelus apparuit in somnis Joseph, ut una cum Puero, & ejus Matre fugeret in Ægyptum, proùt videre est apud Matth. cap. 2. 16.

G. Loculamentum hoc litt. G. immanissimam puerorum stragem exhibet, de qua idem Matth. cap. 2. 26. Verba autem inscriptionis ERODI. Hic peculiari notâ digna censetur non exigua Regis Herodis corona; Hæc siquidem non simplex, sed duplex cernitur ad formam diadematis; nam, ut inquit Petrus Blesens. serm. 19. ad Cant. 3. 11. *aliud est corona, & aliud est diadema, corona simplex est*

est circulus aureus, quo utuntur Reges in minoribus solemnitatibus. Diadema est quasi duplex corona, cum ipsi coronæ quasi alius circulus gemmis superpositus superadditur: ex ipsa enim Græci nominis interpretatione duplicitatem sonat: de quibus etiam Honor. Augustodun. lib. 1. de Antiqu. Rit. Miss. capit. 224. Porrò, ut notat præmemoratus Ciampinius, gliscente cum tempore Cæsarum luxu lauro, floribusque nequaquam contenti fuere; sed quid augustiùs excogitantes diademate redimiri cœperunt, & eo pretiosior, & operosior ornatus erat, quo proniores Imperatores ad luxum. Hinc Lampridius in Heliogabalo narrat. *Voluit* (Heliogabalus) *uti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarum multum aptus, quo & usus est domi.* Quinimò antiqui Ethnici eo dementiæ pervenerunt, ut eorumdem Cæsarum statuas rutilantibus circulis, seù diadematibus in superstitiosæ divinitatis, & majestatis indicium exornaverint; de his Pigniorus inquit: *Consuevit Dædala antiquitas res hominum opinione religiosas, & augustas quibusdam veluti notis insignire, quasi ipsis aliqua dignitas accederet: inter has maximè nobilis fuit orbis quidam capiti aliquando circumscriptus venerationis index, & majestatis, quæ humanam excederet. Hunc ego Imperatoribus, quos Veteres supra fastigium mortalitatis elatos suspiciebant, Provinciis Orbis Romani, Urbibus primariis animalibus etiam Deorum circumpositum notavi: & quod ad Augustos pertinet extant numismata ærea Antonini Pii, & Constantii illius, qui Arrianis favens Catholicam Ecclesiam perturbavit, & Ravennæ in Æde Sancti Vitalis manent adhuc antiquissimæ ex opere musivo Justiniani, & Coniugis imagines, quarum capita noster hic circulus ambit, &c.* Multa etiam de Sella ejusdem Herodis dicenda essent, nisi me ab initio proposita compendiosa narratio ab hoc revocaret. Hæc tamen scire cupiens adeat eruditissimum Valerium Chimentellium tract. marm. Pisan. de honor. Bissell. ubi fusè loquitur de similibus sellis; ibidemque varia sellarum genera ære incisa conspiciuntur.

H. Quadratum signatum litt. H. Christi Jesu Baptisterium in flumine Jordano à Joanne ministratum indicat, de quo idem Matth. Notandus hic est ritus ipsius Baptismatis per immersionem expressus, siquidem Christus Dominus in Jordane ad humeros usque immergitur. De quo inferiùs Cap. XIV. Epigraphe parallelogrammi est BABTIZAT.

I Hac in areola signata litt. I. Christus Dominus à diabolo tentatus ostenditur. Sedet idem Redemptor suprà rupem habens in manu rotulum, seu volumen obvolutum. In aliâ inferiori stat diabolus manu sinistrâ panem gerens. Non procul in plano duæ consurgunt columnæ quibus incumbit arcus. Hic peculiari observatione dignum censuimus volumen illud implicatum in manu Christi Domini; nam idem Dominus pluribus in harum valvarum areolis simile volumen manu detinet. Hoc omissis aliis interpretationibus à Durando in ration. libr. 1. capit. 3. & ab Arrigo in Rom. subterran. tom. 2. lib. 6. cap. 16. excogitatis nil aliud significat, opinor, quam novæ legis editionem Christo Domino referendam. Similem ejusdem humani generis Reparatoris effigiem, manu implicatum volumen gestantis plura pervetusta musiva opera demonstrant. Inter hæc illud Ecclesiæ S. Praxedis Urbis anno 818. jussu Summi Pontificis Paschalis I. constructum. Idem & alterum Ecclesiæ S. Cæciliæ Urbis anno 820. sub jam memorato Summo

Pontifice Paschale I. elaboratum. Ac demùm illud in Ecclesiâ SS. Cosmi, & Damiani in foro Boario, paritèr Urbis à Beatissimo Summo Pontifice Felice III. dicto IV. in eorumdem Sanctorum honorem anno 530. dicatum. Quo loci Christus Dominu- sinistrâ volumen implicatum detinet, & collectum in plicas pallium brachio sustentat. Mysterii inscriptio hæc habetur TEMPTA A DIABOLO.

K In hac Icone litt. K signata, Transfiguratio Domini repræsentatur, ut ipsa inscriptio sat indicat, videlicet TRANSFIGVRATIO DOMINI. Hic Jesus super montem Thabor nitentibus radiis coruscat ad dextram, & sinistram Moses, & Elias, in inferiori autem parte Petrus, Joannes, atque Jacobus, quos secum duxerat. Mysterium hoc Evang. Matth. capit. 17. 1. & sequ. prosequitur.

L Hujusmodi quadratum sub lit. L. notatum Lazarum à Christo resuscitatum præbet, ut ipsa quoquè epigraphe demonstrat, nempè de LAZARO. R. Hic observandum est quod non bis Lazarus, ut prædictus laudati Ciampini delineator expressit, sed semel visitur, nimirùm in sepulchro jacens, lapide, qui os sepulchri occludit, aliquantulum amoto. Nam ad pedes Domini non est idem Lazarus, sed duæ fæminæ, videlicet Martha, & Maria Sorores, ipsum Dominum exorantes, de quo Joann. Cap. 11.

M. Palmarum festivitatem hæc area signata litt. M. designat, quam idem Evangelista Marcus Cap. II. narrat. Hic idem Dominus asino insidens, ac volumen manu tenens, Turbæ quoque vestimenta in viâ sternentes conspiciuntur. Inscriptio est DE S. PAMARVSO.

N In decima tertia areola litt. N. designata, ut ex literis etiam ostenditur, nimirùm LAVATIO PEDV. Christus pedes Apostolorum lavat: Stat ipse tamquam altercans antè Petrum sedentem, de quo Matth. cap. 13. n. 4.

O Iconismus signatus litt. O. Dominicam Cænam, vel potiùs cænaculum ostendit, ibi hæc verba prominent CENA DOMINI. Hic figuræ exhibent Christum ad suos discipulos loquentem, qui audientium more visuntur, excepto altero, quem Joannem esse existimo, caput propè Dominum inclinantem. De quo idem Matth. cap. 26. n. 26.

P Infandum in hoc quadrato Judæ proditoris crimen repræsentatur. Historiam refert Joannes cap. 18. 3. & 12. Verba hujus Mysterii Epigraphe hæc habetur OSCVLAT. EV. IVDAS.

Q. Hæc areola nulla omninò indiget explicatione. Visitur enim ibi Redemptor Noster Cruci affixus, propè Crucem à sinistris Beatissima Virgo Dolore transfixa, à dextris D. Joannes cum codice, ac Miles, ut opinor, Longinus cum scuto in lacrymas soluti, de quo Mysterio idem Matth.

R In decimo septimo loculamento signato litt. R. legitur DESPOLIATIO INFER. Scilicet inferorum. In medio Christus prominet sinistra manu Crucem, quasi trophæum ferens. Dexteram verò quibusdam porrigit, quos ex antro, sive speluncâ deducit. De quibus videndus Anastasius Sinaita ananogic. contempl. in Hexarmer. lib. 7. Hic visitur quoque arbor Palmæ, quæ Victoriæ Symbolum habetur.

S. In decimo octavo quadrato, ac lit. S. Christi Sepulchrum est, ut ex ipsa inscriptione eruitur. In Sepulchri labro Angelus sedet, & Mariæ ad illud accedunt manibus veste, seù linteo-

linteolo velatis vasa gestantes, de quo Mysterio idem Evangelista Matthęus cap.28. Duas tantùm nominans, scilicet, Mariam Magdalenam, & alteram Mariam; Hic tamen artifex propè illas nescio, qua de causa tertiam addidit. Manus verò veste velatæ, ut opinor, nil aliud significare videntur, quàm majorem venerationem rei Christo Domino offerendæ. Mos hìc rem velatis manibus gestandi visitur Romæ pluribus in antiquissimis musivis iconibus, & præcipuè in illa vetustissimæ Basilicæ S. Mariæ Transtyberim suprà porticum à SS. DD. PP. Clemente XI. quem superiùs memoravimus à fundamentis in splendidiorem formam, qua modò visitur, excitatam; ac in Templo S. Mariæ in Domnica, sivè Dominica; nec non in Majori Triumphali arcu Sancti Pauli extrà Urbem à Divo Leone I. anno 441., ut ajunt, ædificato.

T In hoc quadrato lit. T. Christi Domini Ascensionem habes, tùm ex lit. A. S. Quæ legi deberent, ni fallor, *Ascensio Salvatoris*; tùm ex figuris Apostolos denotantibus, quarum quinque à dextris sunt, sex à sinistris; In harum verò medio stat Beatissima Virgo. Hic duodecimus Apostolus consultò fuit omissus, cum Judas mortuus esset, & Matthias nondum electus, de hoc act. Apost. cap. 1. 9. Lorin. & alii &c.

V. In hac vigesima areola Deiparæ Virginis Transitus ostenditur. Ibi visitur eadem Beatissima Virgo defuncta in feretro, ac undecim Apostoli; excepto fortasse Thoma, qui abfuit, circumstantes. Horum duo utrimque candelas accensas deferunt; alter verò juxtà B. Virginis caput in actu thurificantis turribulum ducit. Propè feretrum ex uno latere cernitur Vir manibus Infantem linteo oblongo involutum gestans, cui imminet Angelus pallio ac tunica indutus; & hinc indè duo ædificia consurgunt. Porrò hæc delineatio, non parùm differt ab illa præmemorati Ciampini; at cum de se pateat, breviter ab illius explicatione me expediam. Apostoli igitur circumstantes, ut notat Divus Damascenus Orat. 2. de Assumpt. Ecclesiam repræsentant; Candelæ verò in manibus eorumdem accensæ, Beatissimæ Virginis animæ immortalitatem designant, ut refert Nicephorus lib. 2. cap.22. Nec obstare videtur canon.34. Concilii Eliberini circà Silvestri I. tempora celebrati, quo prohibitum fuit cereos in cæmeteriis accendi ne sanctorum spiritus inquietarentur; Siquidem prædictus Canon fuit conditus, ut notat Macr. verb. Candela, ne cereis accensis in cæmeterio præberetur occasio novæ persecutionis contra Christi-fideles, dum prædictis cereis detegebantur Gentilibus loca SS. Martyrum; vel etiam, quia ut è medio tolleretur superstitiosus ejusdem Gentilitatis ritus, quæ candelas suprà Sepulchra accendebat, ut mortuorum animas ad vitam revocaret. Non autem idem Canon fuit editus pro abrogando Christi-fidelium ritu, qui ex Apostolorum traditione in defunctorum exequiis candelas accendebant ad denotandam animarum immortalitatem, proindeque in exequiis Beatissimæ Virginis fuerunt accensæ plures candelæ, ut notat præcitatus Nicephorus lib.2. cap. 22. ac inter acta D. Cypriani Martyris, hæc de illius funerale habentur. *Inde cum cereis, & scolaribus in area cujusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est*. De hoc etiam ritu pluribus in locis Sanctorum Patrum habetur sermo. Vir ille, qui manibus defert Infantem, ut opinor, Christum Dominum exprimit; Infans verò Sanctissimam Deiparæ animam indicat, pro-

proût loquitur S. Joannes Damascen. Orat. 2. de Dormit. Deiparæ sub fin. ubi sic loquitur de Beata Virgine *cum divina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam*. Linteum, quo involvitur infans videtur denotare maximam ejusdem Sanctiss. animæ puritatem; Angelus autem, vel in obsequium, & ad famulatum ejusdem Redemptoris; vel ad cælestium Potestatum psalmodiam exprimendam imminet. Ædificia verò suo quoque minimè carere mysterio existimo ac Bethleem, & Hierusalem significare. Etenim diversis Romæ in musivis operibus, & præcipuè in triumphalibus arcubus Ecclesiæ Sanctæ Sabinæ, & supradictæ Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris ambæ Civitates, quę Bethleem, & Hierusalem denotant, licet eumdem ubique locum minimè teneant; conspiciuntur. Bethleem, & Hierusalem duo sunt fontes è quibus humani generis salus prodiit. Literas verò M. G. S. M. suprà feretrum ibidem expressas, ni fallor, ita legendas putarem, videlicet *Mariæ Genitricis Salvatoris Mors*.

X His explicatis remanent quatuor anguli, in quorum primo à sinistra introeuntium superioris partis signato lit. X. visitur Christus Dominus in Throno Sedens, ac in actu benedictionem impartientis manum extollit. Visuntur quoquè à dextris ejusdem Salvatoris tres Angeli, tres à sinistris pallio, ac tunica induti; vestium verò sinus super utramque manum tenent; & caput more adorantium inclinant. In Throno Salvatoris hæ literæ prominent G. X. I. N. Quæ fortasse Gloriam Christi Jesu Nazareni significant. Ex utrâque parte exprimitur hymnus Angelicus, qui, & Trisagios appellatur; videlicet Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt Cœli, &Terra gloria tua Osanna in excelsi, loco excelsis.

Y In angulo ad sinistrum lit. Y. signato exprimitur Deiparæ Virginis Mariæ in Throno Sedentis Imago; ac ibidem verba IN CELVM IN CELVM prominent. Hinc indè duo Angeli alis expansis tunicâ cum stola induti adstant, dextera linteola implicata; sinistra verò baculum gestantes, olivarum, ut opinor, arboribus utrimque interjectis. Quid autem significent hujusmodi Angeli cum baculis, non ita promptum est declarare, nisi velimus uti interpretatione Pachymeras in paraphrasi ad S. Dionysium Areopag. de cælest. Hierarch. in Bibliot. PP. tom. 2. pag. mihi 187. §. 5. ubi inquit, Virgas horum Angelorum designare regiam, & Ducalem Dignitatem, rectamque rerum divinarum ordinationem. Similes Angeli cum baculis visuntur Ravennæ pluribus in vetustissimis Ecclesiis, nimirùm S. Michaelis Archangeli, S. Vitalis, S. Apollinaris, ac præcipuè in Ecclesia S. Agathæ Majoris, ubi in musivo opere anno circitèr 400. ut fertur, constructo ab utroque latere Salvatoris, in quodam, veluti prato liliis, rosisque interspersepto, stant duo Angeli sinistrâ baculum, vel arundinem auream tenentes. Quo verò ad Olivarum arbores, eas Pacem denotare autumo; linteola verò implicata laborem, ac bona opera, quibus ad Cœlestem Patriam, ubi vera Pax est pervenitur. De Assumptione B. Dei Genitricis Mariæ plura eruditissimus Cardinalis Baronius in Notis Martyrologii ad diem 15. Augusti, ubi plurimos tàm Græcos, quàm Latinos Patres adducit.

Z. In angulo dextero inferiori litt. Z signato, sex veteris legis Prophetæ cum voluminibus explicatis repręsentantur, ut ex nominibus suprapositis. Media etiam inter unum, & alterum arbor Palmæ assurgit, quam in picturis apponere Veteres Christi-fideles consuevere, ut patet ferè in omnibus


in præcitatis musivis operibus, nam penes ipsos, ut annuimus, pro hieroglyphico habebatur. Qua exanimadversione, ut inquit, hoc in loco idem Ciampinius colligimus has valvas longè ante millesimum conflatas fuisse.

AA. In inferiori angulo litt. AA. signato ad instar oppositæ partis sex figuræ, totidemque arbores prominent; quæ figuræ antiquos Prophetas indicant.



Hæsimus

Tab. 13. ÆNEÆ VALVÆ REGIÆ IANVÆ BASILICÆ PISANÆ



Ioseph. et Franc. Milani delin — Scala Palm. 5 — Frezza incid.



ACTENUS in descriptione valvarum supradictæ lateralis januæ commorati sumus, modò ad trium januarum in Fronte Basilicæ existentium valvas progrediamur; Ab ipsarum tamen media, quam Regiam dicunt, loco, & magnitudine cæteris præstantiore initium ducamus.

Hujus itaque Regiæ januæ valvæ æneæ sunt, & ære fusili opere anaglyphico ad stuporem conflatæ; Harum altitudo est palm. 30. latitudo pal. 15., & ampliùs. Quælibet pars in unum segmentum distinguitur, quod in quatuor quadrata, sive parallelogrammata dividitur frondibus, floribus, fructibus, ac vario animalium genere ornata. Horum quodlibet sacrum Beatissimæ Deiparæ Virginis Mariæ continet mysterium raro quidem artificio cum emblematibus expressum, ut in tabula XIII. accipies. Unde genuino ejusdem Sacræ Historiæ ordine suscepto ab infimo quadrato valvarum lateris introeuntium sinistri signato lit. A. exordiar; deinde ad quadratum earundem valvarum lateris dextri signati lit. B. progrediar; & postmodum ad alia parallelogrammata aliis alphabeticis literis notata deveniam.

A. In infimo igitur quadrato signato litter. A. Nativitas Sanctissimæ Virginis Mariæ repræsentatur; ibi enim cernitur eadem B. Virgo parvula in manibus unius ancillæ pannis involuta; ac non procul D. Anna mater in lecto sedens inspicitur cum pluribus famulantium fęminarum figuris sedulò elaboratis. In ejusdem quadrati fine hęc verba insculpta sunt, -- *Hortus conclusus* -- Subter frondium inter ac florum ornamenta exprimitur hieroglyphicum, nempè: Hortus clausus. Quod videtur ostendere integerrimam Virginitatem in Deipara, cum Ecclesia etiam ad eandem referat simile hieroglyphicum, dum ait: *Antè multum tempus prophetavit Ezechieli: Vidi portam clausam, ecce Deus ante sæcula ex ea procedebat pro salute mundi, & erat iterum clausa demonstrans Virginem, quia post partum permansit Virgo*; Et rursus: *Portam, quàm vidisti Dominus solus transibit per illam.* Supra hujusmodi quadratum adest aliud hieroglyphicum, nempè Flos è cespite prominens, cujus epigraphe: *Fœtenti è cespite*, quod referri posse autumo ad ejusdem B. V. Nativitatem, ut inquit D. Augustinus serm. 18. ubi, *adest nobis dilectissimi optatus dies Beatæ, ac Venerabilis semper Virginis Mariæ, ideò cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata Natali. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa.*

B. In quadrato signato lit. B. exprimitur ejusdem Beatæ Virginis Præsentatio in Templo: ibi visitur summus Sacerdos eandem Beatam Virginem in loco eminenti expectans. In ejusdem quadrati extremitate hæc verba inspiciuntur: *Fons Signatus*: Subter hieroglyphicum est, nimirum, Fons. Hoc symbolum, ut opinor, Sanctissimæ Virginis animum à rerum humanarum affectu expeditum indicat, & ex ipsius fonte ille fluvius manavit, juxta Joel, qui irrigat torrentem, vel funium, vel spinarum: funium peccatorum, quibus alligabamur: spinarum, quæ soffocant sementem patris-familias. Supra idem quadratum adest & aliud hieroglyphicum, nempè Aquila, seu alia avis supra nubes pluviam mittentes, hâc inscriptione appositâ: *Imbres effugio*, quæ aptari potest eidem B. Virgini; cum ipsa emisso Virginitatis voto sæcularium rerum imbres, ut effugeret, sese totam Divinæ contemplationi mancipaverit.

C. In loculamento signato litt. C. apprime exhibetur ejusdem B. Virginis Annunciatio ab Angelo Gabriele facta. Hieroglyphicum est Concha aperta cum margaritis in medio mari; illius epigraphe *Rore cælesti fæcundor*. Hujus hieroglyphici sensus de se patet, sicut enim concha rore fæcundatur, ac margaritas emittit, ut notat Bonettus lib. 8. par. 10. sect. 10. necnon Joan. Augurell. de ort. & capt. margarit. libr. 3. ita Beatissima Virgo Spiritus Sancti rore fuit ineffabiliter fæcundata, dum in illius purissimo utero Verbum caro factum est; ac ineffabili mysterio Divinitatem, ut inquit D. Gregorius Nyssen. catech. c. 11. cum humanitate contemperavit.

D. In areola signata lit. D. pereleganter ostenditur ejusdem B. Virginis Desponsatio

tio cum S. Josepho coram summo Sacerdote Simeone. Supra eandem areolam emblema præsefert Arborem cum Vite. Inscriptio verò emblematis est: *Tantummodo fulcimentum:* nam sicuti arbor viti pro fulcimento dumtaxat inservit, ità D. Joseph SS. Virgini pro solo fulcimento inservivit, dum idem S. Joseph, ut inquit D. Bernardus hom. 2., *Dominam suam Domini Matrem Virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodivit, particeps factus cælestium Sacramentorum; ac in terris solus consilii coadiutor fidelissimus.*

E. In altera areola signata lit. E. mirabili arte efformatur Visitatio Beatæ Mariæ Virginis, & occursus Elisabeth. Hic duo quoque visuntur hieroglyphica, quorum alterum existit in superiori parte, alterum verò in inferiori. Primum hieroglyphicum est Navis velis expansis in medio mari. Verba inscriptionis. *Onustior humilior.* Navis enim, si liceat divinari, quo plus mercium, ac ponderis habet, eo magis demergitur, ac fit humilior; ita B. Virgo quo fuit divina gratia onustior portans in utero, ut inquit D. Bernardus, pretiosissimum illud depositum, Dei scilicèt Filium, Regem gloriæ, ac domum majestatis; eo humilior evasit, nam montana conscendit, ut Elisabeth ministraret, ac partum Cognatæ omni prosequeretur servitute. Secundum verò hieroglyphicum est Templum clausum: Dictum autem; *Non aperietur* cui aptari possunt verba superiùs expressa in loculamento signato litt. A.

F. In Parallelogrammo signato litt. F. exhibetur, accuratè Præsentatio Pueri Jesu in Templo quadraginta diebus expletis, ut in lege Moysis præcipiebatur, de qua S. Lucas cap. 2. Ibi Deipara Virgo, quæ Unigenitum suum deferens Templum ingreditur, ut sistat coram Domino: Ibi Simeon Sacerdos accurrit expansis ulnis ad excipiendum Infantem: Ibi S. Joseph, ibi Anna Prophetissa, nec non par turturum aut pulli columbarum, juxtà ejusdem legis præceptum offerendi, cernuntur. Verba in eodem parallelogrammo hęc insculpta sunt; nimirùm *Clementiæ signum*; Emblema verò Columba olivę ramum rostro portans. Hieroglyohicum superiùs est Heliotropium addita inscriptione *Vertor, ut vertitur.* Ex his duobus Emblematibus alterum, nempe columba cum ramo olivæ denotat B. Virginem Mariam tulisse Pacem ipsam, quæ exuperat omnem sensum, ut ad Philip. 4. nimirùm salutis humanę Reparatorem Christum Jesum; Hinc D. Bernardus Serm. IV. de Assumpt. inquit: *Per te Cælum repletum, infernus evacuatus est; instaurate ruinæ cœlestis Hierusalem expectantibus miseris vita perdita data est;* Alterùm verò scilicèt Heliotropium maximam in omnibus actionibus ejusdem Beatissimæ Virginis humilitatem, & amorem ostendit; nam sicuti heliotropio tantus inest amor solis, ut cum ipso, juxtà Plin. hist. nat. lib. 22. cap. 21. se circumagat etiam nubilo die; ita B. Virgo tanto dilectissimi Filii sui ęstuabat amore, ut veluti mysticum quoddam Heliotropium, post illum tanquam verum solem etiam nubilo tormentorum die vertebatur, ferebaturque.

G. In loculamento signato litt. G. ejusdem Sanctissimæ Virginis Assumptio discipulis stupore perfusis ad miraculum ostenditur. Hieroglyphicum est Flamma ad Cælum pergens; inscriptio. *Summa petit.* Hujusmodi emblema ob sui claritatem nullâ, vel brevi indiget explicatione; sicut enim flamma sursùm tendit, ut ad suum centrum perveniat; ità Deipara Virgo divino Igne rutilans ad regna Cælestia, ut pote proprium centrum elevatur. Hinc D. Jo. Damascen. Orat. 2. de dormit. B. Mariæ. *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus non in terram reversa est, sed cum esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur.*

H. In loculamento, seù quadrato signato lit. H. eminet in Cælis Beatissima Virgo stellarum 12. coronâ redimita. Ejus Emblema est malum Punicum fractum; Inscriptio verò. *Frangit coronat.* Sicut enim malum punicum dum frangitur rubicunda grana, tanquam coronæ gemmas, ostendit; ita Beatissima Virgo post cruciatus ob dilectissimi Filii sui acerbissimam passionē susceptos ab eodem Filio æternæ Gloriæ corona decoratur unde memoratus D. Bernardus serm. de B. Virgine, inquit: *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans ornet potiùs eas, quam ornetur ab eis*, & paulò post subjungit. *Nihilominus*

etiam

etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas crudelitatis, martyrium cordis.

In capite, & fine earundem valvarum cernuntur suis in loculamentis Prophetarum, aliorumque sanctorum simulacra, quorum in medio vasa prominent floribus, ac frondibus repleta; In angulis tamen superioribus imminent hieroglyphica, nempe Horologium, & Ignis sub vase materiâ destillandâ repleto; quorum primum habet epigraphen: *latet virtus*; secundum verò: *Flamma innotescunt*. Hęc emblemata, ni fallor, sapientis actiones denotare autumo: siquidem sicuti horologium in designandis horis omnibus inservit, nec internam virtutem ostentat; ita viri probi & sapientes omnibus prosunt, ac in pectore virtutis domicilium habent, non in vultu, aut fronte; nam vera sapientia, juxta D. Gregor. in moral. illa est non quæ volat, sed quæ virtutibus constat, & ille videtur sapiens, qui pauca quidem de virtute commonet, & proloquitur, plura autem in suis actibus, atque operibus ostendit. Haud secus dicendum videtur de altero hieroglyphico; sicut enim Flamma res destillandas vase inclusas per alembicum detegit; ita vera sapientia, nempe Charitas, verum Christi-fidelem demonstrat: ut ait D. Joann. 4. 8. *Deus Charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*; Proindeque Jacob. Bill. in sua Anthol. sacra ita cecinit.

Non mihi Christicolas jejunia longa, laborque,
Non mihi cū lachrymis vota, precesq; notant.
Christicolā est aliud signum, quod prodat aperte,
Christicolas veros exprimit unus amor.

In areola propè finem visitur flamma in medio campi nudis arboribus circumdata absque inscriptione; altero ex latere cernitur Testudo cum inscriptione non quidem insculpta, sed scalpro incisa, videlicet: *Tarde, sed tuto*: ex altera verò parte visuntur duo Canes ore expanso in actu pugnæ cum epigraphe: *Securus accedo*. Primum hieroglyphicum, nimirum testudo, videtur indicare prudentiam omnibus in operationibus præ oculis habendam; sicuti enim testudo tarde, sed ob testam, quâ tegitur, tutò ambulat; ita hominibus tutò, scilicet prudentiâ, etsi tarde, incedendum est. Hinc Antistenes, ut inquit Laert. lib. 6. c. 1. dicere solebat; *Tutissimum esse murum prudentiam, quod is nec collabitur, nec proditur. Nulla quippe mœnia sunt tam munita, quin machinis, aut suffossionibus, aut vallorum proditione capiantur. Prudentis autem decreta sunt inexpugnabilia*. Alterum verò hieroglyphicum nempe duos Canes potentiam, ac fortitudinem ostendere autumo, nam sicuti canis cum alio cane ad pugnam securus accedit ac dimicat, ita & nos Gratia Dei Viri Fortes debemus in bello cum demone secure, ac fortiter dimicare. *Habes*, inquit, D. Jo. Chrysostomus serm. 1. de martyr. tom. 3. *Christianæ competentia arma, quibus hostem expugnes; habes fortissima tela, quibus inimicum debelles*. Non incongruum puto hic adnectere exemplum picturæ, quæ reperitur in codice magnæ molis in bibliotheca Colbertina; exprimitur ibidem in depicta tabula Carolus Calvus Rex in throno sedens in actu accipiendi eundem codicem sibi dono datum. In angulorum summitate visuntur duo canes invicem se respicientes ore expanso, quasi latrantes; Ex quo deduci posse existimo antiquum morem similibus canibus non solum thronorum sublimia ornandi, verum etiam eorundem Principum fortitudinem ostendendi. De hac tabula erudite loquitur Steph. Balutius in suis not. ad capitularia to. 2. pag. 276.

Harum valvarum artifices infrà retulimus. Eædem in illarum locum fuerunt suffectæ prædicto Basilicæ incendio consumptarum, quas Bonannus celebris sculptor Pisanus, ut notat idem Vasarius p. 1. pag. 19. anno 1180. elaboravit.

Per-

Tab. 14.

ÆNEÆ VALVÆ DEXTERÆ IANVÆ BASILICÆ PISANÆ



Ioseph et Franc. Milani delin. Scala Palm. 1 2 3 4 Frezza incid.


ERLUSTRATIS valvarum Regiæ Januæ iconismis, superest, ut illos januæ sinistræ lustremus. Hujus igitur Januæ valvæ, licet magnitudine sint minores, ut ex mensura accipies; ære tamen fusili operè anaglyphico, uti superiores, conflatæ sunt. In duo segmenta dividuntur, quorum quodlibet in tria quadrata distinguitur. Hujusmodi quadrata Hieroglyphicis, ac anaglyphico ornamento, quo supradicta valvarum Regiæ januæ decorantur, frondibus, floribus, ac fructibus intexto, ut ex Tabula decimatertia habebis.

A In quadrato signato lit. A. Sacræ Historiæ retento ordine visitur Nativitas Domini Nostri Jesu Christi. Ibi SS. Virgo cum Puero, Sanctus Joseph, Chorus Angelorum, ac plures Pastorum figuræ perelegantèr expressæ cernuntur. Hieroglyphicum est Sol Oriens; Inscriptio verò: *Umbras depellit*. Hoc Hieroglyphicum ob sui claritatem nulla indiget explicatione, cum neminem lateat Redemptorem nostrum Solem esse Justitiæ, omnesque infidelitatis tenebras expellere. Undè Divus Bernardus serm. 3. de Circumcis. Dom. ait: *Nunc primùm miserante Deo virtus gratiæ in nobis operatur, ut in novitate vitæ ambulemus. Ergo nascitur homo quando Sol Justitiæ ortus in animo peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei iudicium internis obtutibus offert.*

B Sectio, seu loculamentum signatum litt. B. ostendit illud Matthæi cap. 2. num. 10. & 11. scilicet: *Videntes autem Stellam gavisi sunt gaudio magno valde, & intrantes Domum invenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Ibi sanè B. Virgo, Puer, Reges Regum regi munera, & obsequia exhibentes satis accuratè delineati conspiciuntur. Hieroglyphicum, Helitropia erga Solem inclinata. Inscriptio: *Flectentes adorant*. Quæ pariter cum ex se pateat illius explicationem omittimus.

C In quadrato signato lit. C. indicatur Christi Domini Baptismum à Joanne Baptista ministratum. Ibi D. Joannes baptizans, ibi Angeli syndonem ad detergendam aquam manu tenentes, ac Cœli reclusi affabrè designantur. Hieroglyphicum est Monoceros, seu Unicornis in actu aquam cornu tangentis; Inscriptio est: *Sic unda salutaris*; sicuti enim Monoceros, ut ajunt, cornu aquam salutiferam reddit. Ita Redemptor Noster suo tactu fluenta Jordanis, ac Baptismatis undam sanctificavit.

D In iconismo signato lit. D. exprimitur illud Matth. cap. 4. num. 8. 9. 10. videlicet: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me. Et tunc dicit ei Jesus: Vade Satana: Scriptum est enim Dominum tuum adorabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Porrò Christi Domini figura supra rupem stantis; necnon & Angelorum Domino inservientium effigies, sunt affabrè elaboratæ; diabolum etiam in actu fugiendi artificis solertia sedulo efformavit. Hieroglyphicum est serpens supra saxum gradiens; Epigraphe verò: *Nullum vestigium*: Sicut enim serpens nullum signum super lapides imprimit; ita diabolus nil in Dominum suis fallaciis potuit moliri.

E In loculamento litterâ E. Lazari resurrectio exhibetur. Ibi Salvator Noster Jesus ac Lazarus è sepulchro eductus una cum pluribus figuris accuratè exprimuntur. Hieroglyphicum est Leo in silvis; Inscriptio verò, quæ de se innotescit: *Vivificat rugitu*.

F In areola litterâ F. repræsentatur ejusdem humani generis Reparatoris in Sanctam Jerusalem Urbem ingressus. Ibi plures figuræ sedulò elaboratæ vestimenta sternunt, ac idem Dominus super asinam sedens plurima Hebræorum turba circumdatur. Hieroglyphicum est Testudo, ni fallor, inter ungulas Aquilæ volantis; verba inscriptionis sunt: *Feror, ut frangar*: Sicut enim illud animal ab Aquila ferebatur, ut posteà ex alto, juxta Plinii sententiam cap. tertio, lib. decimo de historia animalium, ex alto dejectum ad saxa allideretur; Ita Redemptor Noster non solùm asina, sed Hebræorum laudibus ferebatur, ut postmodum frangeretur, scilicet morte turpissima necaretur; ab eodem enim populo idem Dominus eodem in loco, paucissimis diebus interpositis primo cum tanto triumpho susceptus, posteà crucifixus est.

G In altera propè finem icone signata litterâ G. prominent supradicta Hieroglyphica, nimirum Testudo, ac duo Canes, cum iisdem superiùs expositis inscriptionibus.

Postrema, sive infima earundem valvarum pars, continet duo animalia, nimirùm Elephantem, & Cervum, quorum primum à sinistris exprimitur; alterum verò à dextris prominet. Hæc animalia eandem inscriptionem habent, ac illa superiùs exposita; videlicet *Tardè, sed Tuto; & securus accedo*; Siquidem elephas incedit tardè, sed tutò, uti testudo. Item cervus cum alio cervo, & canis cum alio cane in pugnam descendere minimè formidat, proindeque eandem interpretationem obtinebunt.

In capite valvæ introeuntium lateris dextri eminet, ni fallor, Pellicanus. Hujusmodi Hieroglyphicum satis apertè Redemptorem Nostrum videtur repræsentare, qui pro nostra salute pretiosissimum sanguinem liberaliter effudit. In capite verò valvæ lateris sinistri prominet Aquila, quæ pariter, ut notat Divus Maximus homil. 43. ejusdem Salvatoris figuram designat. Hoc enim indice, ut inquit Ælianus de historia animal. lib. secundo, cap. vigesimosexto: Suorum pullorum ingenuitatem aquila legitimam experitur; eos adhuc implumes, ac ex ætate infirmos Solem intueri adversum cogit, ac siquis illorum Solis radios ægrè intuens nictatione oculos obnubat eum nido expellit, ac velut adulterinum abdicat; Sin autem Solem sine nictatione respiciat extra suspicionem est; atque idcirco inter legitimos adscribitur; Ita Christus Dominus homines tanquam suos filios sibi similes esse, ac in ipsum, utpote verum Solem mentis aciem jubet dirigere; quod si aliter agant eos, ut inquit Jeremias cap. vigesimotertio, 40. Dabit in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.

In harum valvarum angulis prominēt varia Sanctorum simulacra pereleganter efformata, quorum duo Apostolorum effigies, nimirum Andreæ, & Joannis cum aquila repræsentant. De hoc aquilæ hieroglyphico, sicuti de aliis Evangelistarum emblematibus optimè Divus Augustinus libro de Concordia Evangelista-

rum,

rum, ubi hæc refert: *Matthæus Incarnationem Domini secundùm Regiam stirpem suscepit. Marcus tanquam pedisequus & breviator eius esse videtur cum solo Joanne nihil dicens. Lucas Sacerdotalem Christi stirpem occupavit, ad David ascendens, non Regium stemma sequutus, sed per Reges exit ad Nathan (qui Rex non fuit) filium David: Non sicut Matthæus, qui per Regem Salomonem descendens, cæteros Reges prosequutus est. Non autem habuit breviatorem Lucas, sicut Matthæus, & hoc fortè non fuit sine aliquo sacramento, quia Regum est non esse sine comitum obsequio. Lucas verò non habuit comitem breviatorem, nam Sacerdos in Sancta Sanctorum solus intrabat. Hi tres maximi circa humanitatis facta versati sunt. Joannes verò circa divinitatem. Proinde cùm duæ virtutes sint animæ, una activa, altera contemplativa, quas significaverunt uxores Jacob, Lia, quæ interpretatur* laborans, *& Rachel, quæ interpretatur* visum principium, *datur intelligi, tres Evangelistas circa activam virtutem fuisse versatos, Joannem verò circa contemplativam. Unde mihi videtur probabiliùs attendisse illos, qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco intellexerint, Vitulum verò in Luca, Aquilam in Joanne: quàm qui Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Leonem Joanni tribuerunt. De principiis enim librorum conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Euangelistarum, quæ magìs fuerat perscrutanda. Multò enim congruentius Matthæus Regiam Christi Personam maximè commendans, per Leonem significatur: unde & in Apocalipsi cum ipsa Tribu Regia Leo commemoratus est, ubi dicitur:* Vicit Leo de Tribu Juda. *Secundum Matthæum Magi narrantur venisse ab Oriente ad Regem quærendum, & adorandum, qui eis per stellam natus apparuit, & ipse Rex Herodes Regem formidat infantem, atque ut eum possit occidere, tot parvulos necat. Lucam per Vitulum significari neutri dubitaverunt, qui quasi animal hostiis deputatum, circa templum maximè & Hierosolymam narrationis suæ versatur incessu. In principio Sacerdotem collocat ad aram orantem, populo foris stante. Mariam concepto Domino Hierosolymam mittit ad domum Pontificis. Ibi Baptistam natum refert, illuc Dominum natum cum hostia transfert, illuc cum parentibus singulis annis ducit, duodennem in templo choris Doctorum interserit: Et post cætera Discipulos Deum in templo laudantes in fine Evangelii concludit.*

Tab. 15.

ÆNEÆ VALVÆ SINISTRÆ IANVÆ BASILICÆ PISANÆ



Ioseph, et Franc. Milani delineauerunt *Scala Palm.* *Frezza incid.*



OST Laterales ad sinistram Januæ valvas, ad illas januæ lateris dexteri accedamus. Hæ sanè exceptis iconismis, & hieroglyphicis, quoad magnitudinem, materiam, & ornamenta sunt cum aliis nuper superius expositis comparandæ, ut ex Tab. XIV. cognosces. Eodem itaque ordine retento illarum enarrationem prosequemur.

A In loculamento signato lit. A. indicatur illud Joannis cap. 18. nimirum: *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introivit ipse, & discipuli eius*. Hac in icone Christi Domini Patrem exorantis effigies; tres discipuli dormientes, & Angelus Calicem gestans affabrè elaborati sunt. Hieroglyphicum est Arbor è cortice aliquid, fortassè muscum, aut resinam emittens; inscriptio *emittit sponte*.

B In parallelogrammo signato lit. B. exhibetur illud Lucæ cap. 22. nu. 47. & 48. nempè: *Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas unus de duodecim antecedebat eos: & appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum; Jesus autem dixit illi: Juda osculo Filium hominis tradis?* Ibi Malchus in terram lapsus, & Petrus illi auriculam scindens, ac plures aliæ militum figuræ accuratè exprimuntur. Emblema: Hedera prægrandi adhærens arbori; Inscriptio: *Cingit non stringit*. Nam sicuti hedera adhærens arbori magnæ nullam ei vim infert, ita proditoris Judæ amplexus, ac tota illius militum caterva nullam vim intulisset Redemptori nisi divina ejusdem voluntas accessisset. Hinc D. Athanasius tom. 1. in Pass. Dom. *Et si ergo nullam necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quæ facit, sed summa, ac ineffabili voluntate, ac potestate*. Quod etiam aptari potest hieroglyphico superius exposito.

C In quadrato signato litt. C. repræsentatur illud Matth. cap. 27. n. 27. 28. 29. videlicet: *Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum clamidem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genuflexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum*. Hic equidem Christus Dominus Spinea corona redimitus mirabili arte exprimitur; & Hebræorum turba ad vivum efformata est, Hieroglyphicum est flos, inter spinas emergens. Inscriptio verò. *Illæsus*.

D In loculamento signato litt. D. apparet ejusdem Redemptoris fustigatio; ibi idem Dominus visitur ad columnam ligatus Judęis diris fustibus in eundem sævientibus. Emblema est incudo cum duobus malleis: Inscriptio: *Non frangor*. Hujusmodi Epigraphe, ac altera loculamenti signati litt. F. Superioris Januæ videntur aliquam contrarietatem includere; Illa siquidem exponit, quod idem Dominus ferebatur, ut frangeretur; Hęc autem exprimit eundem Dominum, non posse frangi ad similitudinem incudis, quæ malleorum ictibus immota permanet. Verùm superius Emblema, ut opinor, humanitatem ipsius Redemptoris indicat; Hoc verò ejusdem Salvatoris divinitatem ostendit. In utraque enim natura, ut inquit Sanctus Leo Papa Serm. 7. de Nativitate Domini, idem est Dei Filius nostra suscipiens, & propria non amittens; in homine hominem renovans in se incommutabilis perseverans: Deitas enim, quæ illi cum Patre communis est nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam Servi forma violavit; quia summa, & sempiterna

essentia, quæ se ad humani generis inclinavit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat esse non destitit. Quod etiam dicendum erit de hieroglyphico in superiori loculamento litterâ C. designato; illud quippè non humanitatem Christi Domini; sed divinitatem denotat.

E In altero quadrato litterâ E. aliud Dominicæ Passionis Mysterium affabrè denotatur. Exprimitur ibidem quando idem Dominus Crucem bajulat ad Calvarium. Hieroglyphicum est Phęnix volans unguibus lignum aridum tenens, Epigraphe *Bustumque, Partumque*. Etenim Phænix, ut inquit Plin. de hist. anim. lib. 10. c. 2. cum senescit lignum aridum, & odoriferum pro nido sibi parando defert ad locum Solis radiis expositum, ubi, & ipsa ad Solem conversa alarum ictibus, ac ejusdem Solis calore prædictum lignum accendit, & cum eodem ipsa comburitur, ex cujus cineribus vermiculus nascitur, qui post aliquot dies in avem convertitur. Proindeque sicut ipsamet Phęnix eodem tempore defert Nidum, & Rogum, ubi ad vitam post mortem revocatur; Ita Christus Dominus ferendo Crucis Lignum feretrum, & locum defert, ubi mortem moriendo destruxit; Quod etiam confirmat D. Zeno Episcopus Veronensis serm. de resurrect. post medium, ubi sic: *Similiter Phœnix avis illa pretiosa Resurrectionis evidenter nos edocet iura, quæ nobilitatem generis sui tradit; ipsa genus, ipsa finis, ipsa principium, non ex coitu nascitur, nec officio alieno, nutritur, non in vita imprudens moritur, sed cum maturum lethi tempus advenerit à semetipsa excitatis sacris ignibus libentissimè concrematur, Sepulchrum nidus est, illi favillæ nutrices: Cinis propagandi corporis semen; mors natalis dies. Denique post momentum festo exultat in tumulo non umbra, sed veritas, non Imago, sed Phœnix.*

F In areola signata litt. F. extollitur Christi Domini Redemptoris inter duos latrones è Cruce pendentis effigies. Ibi Maria Virgo ejusdem Redemptoris Mater, & aliæ quamplures mulierum, ac Militum figuræ accuratè exprimuntur. Hieroglyphicum de se patens est Candelabrum cum candela accensa desuper. Epigraphe: *Ut luceat omnibus*. Unde Divus Bernardus in lam. Beatissimæ Virginis, inquit: *O immarcescibilis decor Dei Excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans, & conservans in æterno splendore.*

G Propè finem valvarum visuntur Testudo, & Canes sese ad invicem insultantes cum supradictis inscriptionibus: *Tarde, sed Tuto*; & *securus accedo*, quæ quid significent superius animi nostri sententiam exposuimus. Harum postrema, nimirum securus accedo Capreæ, & hirco in inferiori loco positis aptari etiam potest, cum ambo ad pugnam accedant.

In capite earundem valvarum imminet Bos, qui utpotè victima Sacrificii Veteris Testamenti Redemptorem nostrum Novi Testamenti holocaustum in ara Crucis designat. In angulis verò suis in loculamentis visuntur Sanctorum effigies apprimè exculptæ.

Prædictarum trium januarum valvæ absolutæ fuerunt, ni fallor, anno millesimo sexcentesimo secundo. Artifices fuerunt, ut ex Codicibus Ecclesiæ eruitur Pater Dominicus Portigianus Dominicanus, ac Magister Angelus Serranus. Delineatores

verò

verò Joannes Bologna, Francavilla, vulgò, *Dell' Opera*, & Gaspar Susina, Horatius Mochius, Joannes Mora.



De


Tab. 16.
Frons Basili

De Fronte Basilicæ.

CAPUT X.



Xpositis januarum valvis Basilicæ Frontem intueamur. Frons hæc tota ex marmore constat. In medio, ut diximus, est in cacumen elata; Supra januas parvas in demissum dejecta, proindeque varia altitudo ipsam determinat, ut ex Tab. 15. cognosces. In medio ad altitudinem palm. 170., & ultrà, extollitur; Supra easdem parvas januas ad palm. 115. assurgit; In latitudine verò ad palm. 155. extenditur. Habet quinque columnarum ordines, quorum alter alteri eleganter incumbit. In primo columnarum ordine sex è pavimento consurgunt marmoreæ columnæ, altitudine palm. 40. circitèr. Harum duæ, nimirum illæ prope regiam Januam sunt mirandæ cælaturæ, ac in crassitie opere anaglypto elaboratæ. In secundo ordine aditum externum ex uno latere Ecclesiæ ad aliud exhibente decem, & octo marmoreæ columnæ licèt inferioris magnitudinis, enumerantur. In 3. ordine decem columnæ ejusdem altitudinis, nam aliæ gradatim usque ad solum caput diminuuntur. In 4. ordine novem columnæ. In 5. verò ordine dumtaxat columnæ septem attolluntur, & inæqualis mensuræ. In medio areæ hujus 5. ordinis variis lapidibus, & cælaturis exornatæ visitur opere anaglypto in marmore Deiparæ Virginis Triumphatricis Imago. In fine ejusdem areæ prominent duo Evangelistarum symbola, à dextris nimirum Angelus manibus librum gestans; à sinistris Aquila pariter ungulis codicem tenens; ac ambo rotundo diademate ornata conspiciuntur. Subter alia duo Evangelistarum hieroglyphica, nimirum Leo, & Bos, è coronice tertii ordinis erumpunt, licèt ævi edacitate penè consumpta. Columnæ omnes integræ in eadem fronte assurgentes numerum 50. excedunt non computatis parastatis; earunque capita ad ordinis Corinthii leges efformantur. Arcus omnes columnis imminentes accuratis cælaturis illustrātur; ac supra eosdem areæ variis, elegantibusque lapillorum ornamentis nobilitantur. In eadem quoque Fronte quinque marmorea simulacra consurgunt. Horum primum in ejusdem Frontis apice præsefert Beatissimæ Virginis Mariæ Filium amplexantis effigiem. Duo hinc inde supra extremitatem tecti Medianæ Navis Angelorum Imaginem exhibent. Alia duo in fine tecti Navium lateralium Apostolorum formam exprimunt. Sub Apostolorum basi duo canes in actu saltantium prominent. In capitibus columnarum regiæ januæ imminent duo leones. In coronice 2. columnarum ordinis varia animalium genera, nimirum, Vulpes, Apri, Canes, & Ursi visuntur; In capitellis verò columnarum ejusdem 2. ordinis Hominum, ac Vitulorum capita consurgunt. Hæc animalia ad purum ornatum videntur expressa; scimus enim receptam fuisse etiam apud veteres Christifideles consuetudinem ornandi Ecclesias non modo sacris, sed etiam variis animalium figuris, ut apertè constat ex Epist. S. Nili ad Olympiodorum, quæ id actione 4. Concil. 2. Nicæni secundum Anastasii versionem, sic habetur: *Scribis mihi* (inquit S. Nilus) *sic putas decorum, si tibi extructuro templum maximum ad honorem tàm Sanctorum Martyrum, quàm Chri-*

sti,

sti, quem ipsi per certamina, & dolores, ac sudores testificati sunt, vel imagines etiam ponere in sacrario & variis animalium bestiis parietes implere, à dextris, & à sinistris, ita ut videantur in terra quidem extensa linea, & lepores, & capræ, & cætera animalia fugere: Porrò illi capere festinantes cum catellis alacriter insequi. In mari verò laxari retia, & omne genus piscium capi, & ad aridam Piscatoris manibus ferri: Insuper, & gypso fingi omnes species, & ostendi ad desiderium oculorum in domo Dei: sed & in communi domo mille Cruces infingi, & picturas volucrum, ac jumentorum, & repentium, ad diversorum germinum fieri. Ego ad ea, quæ scripta sunt dixerim, quia nimirum infantium est, parvulos decet his, quæ prædicta sunt, seducere fidelium oculum: firmi verò, & virilis sensus proprium est in Sacrario quidem ad Orientem divini templi unam, & solam Crucem formare: Non pauci tamen animalia prædicta, nempè Leones supra columnarum capita purum ornatum, sed ad aliquod symbolum demonstrandum posita opinantur. Nam Valerianus lib. 1. cap. 4. narrat non tantum Mycenorum portis; sed etiam reliquorum ædificiorum, præcipuè verò Fanorum valvis, ædiumque sacrarum vestibulis leones tanquam divinorum custodes, ut passim cernere est statuebantur; proindeque ut elicitur ex Horo Apolline lib. 1. cap. 19. Vigilantem sedulumque hominem, aut custodem ostendentes (Ægyptii) Leonis caput pingunt quoniam Leo vigilans oculos claudit, eosdem quum dormit, apertos habet; quod quidem custodiæ atque excubiarum signum est. Quocircà non absque significatione templorum claustris leones, qui custodum loco sint, appinxerunt.

Notat etiam Causinus de Symbolica Ægyptiorum sapientia hieroglyphicum hoc non modo in profanis, sed etiam in sacris rebus usitatissimum, ut Leones in symbolum, ut diximus majestatis appingerentur. Unde hujusmodi leones nos monere inquiunt, ut semper vigilemus pro Ecclesia Sancta Dei, ac fortiter pro illa, uti leones pugnemus. Nisi velimus uti explicatione D. Petri ex Epist. 1. cap. 5. n. 8. desumpta, nimirum: sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide; potissimum quia huic explicationi consonat mens ipsius, ni fallor, Artificis; nam prope leonem columnæ introeuntium dexteræ sequentia verba insculpta leguntur:

Hoc opus tam mirum, tam pretiosum
Rainaldus prudens operator, & ipse Magister
Constituit mire solerter, & ingeniose.
De ore Leonis libera me Domine, & à
Cornibus Unicornium humilitatem meam.

Cætera verò animalia nimirum Vulpes, Ursi, Apri, Tauri, Canes, Boves, & Hirci nobis indicare ajunt, quid agendum sit postquam propter peccata similes illis (quod Deus avertat) evaserimus: nempe ut in templum ascendamus, ac verbo Dei in corde retento ibidem immutemur; Arca siquidem, ut inquit D. Joannes Chrisostomus ho. 3. de pænit., qualia excipiebat animalia, talia conservabat; Ecclesia verò semel suscepta animalia immutat non quidem variata natura, sed explosa malitia, [illegible] Vetustissimas Inscriptiones, quæ in hac Basilicę Fronte visuntur superiùs ostendimus exceptis sequentibus, quæ in marmore rudi charactere, & abbreviate insculptæ ita leguntur;

Ex merito laudare tuo te Pisa laborans
Nititur è propria demere laude tua.

Ad

Ad laudes Urbs clara tuas laus sufficit illa
Quod te pro merito dicere nemo valet.
Non rerum dubius successus namque secundus
Se tibi præcunctis fecit habere lccis.
Quare tanta micas quod te quis dicere temptat
Materia presens deficiet subito.
Ut taceam reliqua quis dignum diceret illa
Tempore præterito quæ tibi contigerint.
Anno Dominicę Incarnat. M.VI.

Millia sexdecies Siculum prostrata potenter
Dum superare volunt exsuperata cadunt.
Namq; tuum Sicula cupiens gens perdere nomē
Te petiit fines depopulata tuos.
Unde dolens nimium modicum differre nequisti
In proprios fines quin sequereris eos.
Hos tibi conspiciens cunctos Messana perire
Cum gemitu quamvis hæc tua facta refert.
Anno Dominicę Incarnat. M.XVI.

His majora tibi post hæc Urbs clara dedisti
Viribus eximiis cum superata tuis.
Gens Saracenorum periit sine laude suorum
Hinc tibi Sardinia debita semper erit.
Anno D. I. M. XXXIIII.

Tertia pars mundi sensit tua signa triumphi.
Aphrica, de Cælis Presule Rege tibi.
Nam justa ratione petens ulciscier inde
Est vi capta tua Urbs superata bona.

In lapide admodum coroso hæc habentur.


Quam bene, quam pulchre procul haud
Est edes ab urbe, que constructa fuit
Civibus ecce suis tempore Widonis
Papiensis Presulis hujus, qui Regi
Fam. not. & ipf. Pape.

Subter inspicitur Sepulchralis inscriptio Uxoris Regis Insularum Balearium in earumdem insularum expugnatione una cum filio in servitutem abductæ.

Regia me proles genuit Pisæ rapuerunt
His ego cum nato bellica præda fui.
Majoricæ Regnum tenui, nunc condita saxo
Quod cernis jaceo fine potita meo.
Quisquis es ergo: tuæ memor esto conditionis
Atque pia pro me mente precare Deum.



De


Tab. 17
Prospectus interior Basilicæ Pisanæ

De Basilicæ Prospectu.

CAP. XI.



QUum Basilicę Frons una cum ejusdem valvis perlustrata fuerit, ut ipsius Ecclesiæ viscera clariùs cognoscamus ipsam è medio sublatam effingamus; Proindeque tabulam 15. Scenographicam sub celeberrimi Viri Andreæ à Puteo Soc. Jesu censura delineatam ob oculos positam inspiciemus. In hac optimè Navium ordines, columnarum elevationes, porticuum structuræ, Triumphalis Arcus, Tribuna, laquearia, & alia miro artificio compacta unico intuitu conspiciuntur. Hæc sanè mirando fuerunt ordine constructa; Siquidem penè miraculum cernitur hujusmodi molem ex tot, tantisque inæqualibus lapidibus è collapsis, ut diximus, infidelium ædificiis, & ex idolorum dirutis templis recollectis tam eleganter, & accuratè excitatam esse, ut in eadem certare videatur cum religione Majestas: Hæc ut magis magisque in dies eniteret etiam à Summis Pontificibus, Imperatoribus, & aliis non exigui nominis Principibus donis, ac privilegiis munificentissimè aucta fuit. Horum nonnulla subjiciam ex iis, quæ ignis, temporisque ingluvies non absumpsit, cætera Deo dante alibi una cum illis ejusdem Basilicæ Capituli ostensurus; & hęc sunt.

URBANUS EPISCOPUS
servus servorum Dei.

Dilecto in Christo fratri Daiberto Pisanorum Episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

CUm universis sanctæ Ecclesiæ filiis, ex Apostolicæ sedis auctoritate, ob benevolentiam debitores nos existimamus, illis tamen locis, atque personis, quæ specialius, ac familiarius Romanæ adhærent Ecclesiæ, quæque ampliorem ejus gratiam obedientia gratior officiis frequentioribus, & auxiliis amplioribus promerentur, propensiori nos convenit charitatis studio imminere. Ipse enim per prophetam Dominus ait: *Honorificantes me honorificabo*; discipulis quoque suis angustiarum, quas pro eo pertulerant, retributionem promittens dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit pater meus regnum.* Quia igitur in tanta tamque diuturna schismaticorum tempestate, Pisanorum gloriosa civitas, multis jam dudum laboribus, & obsequiis sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam sibi fecit obnoxiam, tua quoque fraternitas divino charitatis ardore succensa ob ejusdem S.R.E. libertatem non solùm impendi parata est, & nostris laboribus cooperata, multisque modis tribulationum particeps effecta cooperante Domino beneficiorum meritis respondere curamus, ut sicut nos præteritorum memores sumus, ita & ipsi tantam gratiam favore donari futuris temporibus S.R.E. fideliores, ac devotiores existant, & benigniori matri semper auxiliando, adjuvando, obsequendo respondeant. Divinæ siquidem Majestatis dispositio Pisanæ urbis gloriam nostris temporibus, & Saracenorum triumphis illustrare, & secularium rerum provectibus promovere, ut præ comprovincialibus exaltare dignata est, eapropter & nos divinæ pietatis prosecutores, & cooperatores eam in spiritualibus quoque glorificare decrevimus, sicut prædecessores nostros multis civitatibus olim fecisse scriptorum ecclesiasticorum testimoniis comprobatur. Consilio itaque confratrum nostrorum Episcoporum, presbyterorum, ac diaconorum Cardinalium, aliorumque nostrorum fidelium assensu, immo precibus incitati, charissimæ quoque beati Petri filiæ Mathildis comitissæ, quæ se extremis quibusque pro causa Apostolicæ sedis exposuit, obnixis postulationibus inclinati, ad honorem sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Mariæ, sanctorumque Petri, & Pauli Apostolorum Principum Corsicanæ insulæ Episcopatus re-

regendos, ac disponendos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui auctore Deo, charissime frater Daiberte præsides præsentis decreti auctoritate committimus, atque subjicimus, teque frater venerabilis in Archiepiscopum ejusdem insulæ promovemus. Idem juris, & idem honoris tuis quoque successoribus perpetuo indulgentes, quod cleri, ac populi electione legitima per Romani Pontificis manus intraverint, quemadmodum Landulphum, Gerardum, & te ipsum ordinatos esse cognoscitur. Corsicana etenim insula, tam prolixitate spatiorum, quam negligentia pastorum, tam insolentia Dominorum, quam nostrorum dissuetudine legatorum multis intervenientibus impedimentis ab Apostolicæ sedis obedientia, ac devotione deferbuit, & dissolutioni, ac dissipationi dedita ecclesiastici ordinis pene deservit disciplinam, quam profecto sua, suorumque successorum vigilantia, quia & illis vicinior, & sedis Apostolicæ familiarior est, in justitiæ regulam, & Christianitatis vigorem annuente Domino reformari optamus, atque præcipimus. Unde frater in Christo charissime vestræ jurisdictioni, dispositioni, procurationique committimus Ecclesiarum illarum bona secundum Deum regenda, defendenda, & quæ malè destructa, & illicitè usurpata reperieritis, in usus ecclesiasticos restituenda, & auctore Deo, illic ecclesiasticæ religionis disciplina referveat. Palleum igitur fraternitati tuæ, plenitudinem videlicèt Pontificalis officii ex Apostolicæ sedis liberalitate concedimus, quo jura ecclesiastica tantum ad missarum celebranda solemnia tibi, ac successoribus tuis uti licebit, iis tantum qui subscripti sunt diebus solemnibus, id est Nativitate Domini, Epiphaniæ hypoponton, cœnæ Domini, Pascha, Ascensionis, Pentecoste, tribus solemnitatibus sanctæ Dei Genitricis, ac Virginis Mariæ, natalitiis sancti Joannis Baptistæ, ac sanctorum Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, consecratione basilicæ, & suffraganeorum Episcoporum, ac Clericorum, & annuo natalitii sui die, in solemnitate etiam beati martyris, atque Pontificis Sixti, cujus indumenti honor efficaci actuum vivacitate servandus est. Ejus ergo te volumus per omnia genium vindicare. Hujus enim indumenti honor, humilitas, atque justitia est. Tota igitur mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicam bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciens pro veritate loquentem, præbens misericordiam operibus juxtà virtutem substantiæ insistens, & tamen insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, de alienis gaudiis, tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis sæviens, in fruendis virtutibus auditorum animum demulcens, in iracundia animi sine ira terrens. Hoc est, frater charissime pallei accepti dignitas, quam si solicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis:

Datum Anagniæ per manum Joannis S. R. E. Diaconis Cardinalis x. Kal. maii, indict. 15. *anno Dominicæ Incarnationis* 1092. *Pontificatus verò D. Urbani Papæ II. anno Quinto.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS servus servorum Dei.

Venerab. fratri Balduino Archiepiscopo Pisano, ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum.

TUNC Apostolicæ sedi, & Romanis Pontificibus honor integrè conservatur, si unicuique Ecclesiæ sua dignitas custodiatur. Romanæ siquidem Ecclesiæ consueta benignitas, & discreta humilitas, quos devotos, & mansuetos filios reperit, alios dignitatibus, & honoribus sibi facit amplius obnoxios, alios familiaritatis, & dilectionis prærogativa sublimat. Æquum etenim, & rationabile est, ut quorum nos beneficia, & obsequia suscepisse recolimus, eorum devotioni non mensura pari, nec quantitate æquali, sed ex abundantis gratiæ benevolentia libenti animo respondere curemus. Quia igitur de discordia, & guerra, quæ inter Pisanam, & Januensem civitates existit, multæ hominum clades, & Christianorum captivitates innumeræ provenerunt. Nos quorum præcipuè interest singulorum salu-

luti tam spiritualiter, quam temporaliter sollicitudine providere pro bono pacis, & recompensatione Episcopatum, quos utique à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ Pisanæ concessos in insula Corsicæ à prædecessore tuo bonæ memoriæ fratre nostro Archiepiscopo accepimus in Gallurienfi judicatu duos Episcopatus, Galtelinensem videlicèt, & Civitatensem, & Populoniensem Episcopatum tibi, tuisque successoribus, & per vos Ecclesiæ Pisanæ concedimus, & Metropolitano jure subjicimus, vosque Primatus honore super Turritanam provinciam declaravimus; legationem quoque Sardiniæ prædecessore nostro Papa Urbano prædecessoribus tuis concessam, tibi, tuisque successoribus præsentis scripti pagina roboramus, denique ut Pisana civitas, quæ cælesti favore de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum urbes plurimas subjugavit, amplius honoretur, equo albo cum navo albo in processionibus utendi, & crucem, vexillum scilicèt Dominicum per subjectas vobis provincias portandi tibi, tuisque successoribus licentiam damus, pallii quoque usum fraternitati tuæ concedimus, ut videlicèt eo secundum consuetudinem Pisanæ Ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium Episcoporum in Corsica, Aleriensis scilicet, Adiacensis, & Sagontini, ac prædictorum duorum in Sardinia, & Populoniensis Episcopi, quorum Metropolitanus existis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam ausu temerario venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi congrua emendatione correxerit, potestatis, honorisve sui dignitate careat, reamque se, &c. & à sacratissimo, &c. cunctis autem eidem Eccl. &c. quatenus &c. apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Desiderius presbyter Card. tit. S. Praxedis subscripsi.

Ego Petrus presbyter Card. tit. sanctæ Susannæ subscripsi.

Ego Gerardus presb. Card. tit. sanct. Crucis in Hierusalem subscripsi.

Ego Littifredus presb. Card. tit. sanctæ Vestinæ subscripsi.

Ego Anselmus presb. Card. tit. sancti Laurentii in Lucina subscripsi.

Ego Lucas presb. Card. tit. sanctorum Joannis, & Pauli subscripsi.

Ego Stiantius presbyter Cardinalis tit. sanctæ Savinæ subscripsi.

Ego Martinus presb. Card. tit. sancti Stephani in Cælio monte subscripsi.

Ego Petrus Episcopus Papiensis subscripsi.

Ego Oddo diac. Card. sancti Georgii ad Velum aureum subscripsi.

Ego Guido diac. Card. tit. sancti Adriani subscripsi.

Ego Boetius diac. Card. tit. sanctorum Viti, & Modesti subscripsi.

Ego Chrysogonus diac. Card. tit. sanctæ Mariæ in Porticu subscripsi.

Ego Ubaldus diac. Card. sanctæ Mariæ in Via lata subscripsi.

Ego Octavianus diac. Card. tit. sancti Nicolai in carcere subscripsi.

Ego Hyacinthus prior subdiaconorum sacri palatii subscripsi.

Ego Joannes sacri palatii subdiaconus subscripsi.

Ego Baro sacri palatii subdiac. & prior Scolæ crucis subscripsi.

Ego Joannes Paparo Romanę Ecclesiæ subdiaconus, subscripsi.

Ego Galganus sacri palatii subdiaconus subscripsi.

Ego Monachus sacri palatii subdiac. subscripsi.

Ego Baldicio sacri Palatii subdiaconus subscripsi.

Ego Vulgarius sacri palatii subdiaconus subscripsi.

Datum Laterani per manum Aimerici S.R.E. diac. Card. & Cancellarii Kal. maii, ind. I. incarn. Domin. anno 1138. *Pontificatus verò D. Innocentii Papæ II. anno nono.*

ALEXANDER EPISCOPUS servus servorum Dei:

Venerabili fratri Villano Archiepiscopo Pisano, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Tunc Apostolicæ Sedi, & Romanis Pontificibus honor integrè conservatur, si ubicuique ecclesiæ sua dignitas

 custo-

custoditur. Romanæ siquidem ecclesiæ consueta benignitas, & discreta humilitas, quos devotos, & mansuetos filios reperit, alios dignitatibus, & honoribus sibi amplius facit obnoxios, alios familiaritatis, & dilectionis prerogativa sublimat. Aquum enim, & rationabile est, ut quorum beneficia, & obsequia se recolit suscepisse, eorum devotioni non mensura pari, nec quantitate æquali, sed ex abundantis gratiæ benevolentia libenti animo studeat respondere. Prædecessor siquidem noster felicis memoriæ Papa Innocentius de discordia, & guerra, quæ inter Pisanam, & Januensem civitates extitit, multas hominum clades, & Christianorum captivitates innumeras provenisse considerans utriusque partis saluti, tam temporalitèr, quam spiritualitèr paterna sollicitudine studuit providere, atque pro bono pacis, & recompensatione Episcopatuum, quos utique à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ecclesiæ Pisanæ concessos in insula Corsicæ à prędecessore tuo bonæ memoriæ fratre nostro Archiepiscopo Huberto accepit, in Galluriensi judicatu duos Episcopatus, Galtellinensem videlicèt, & Civitatensem, & Populoniensem Episcopatum tibi, tuisque successoribus, & per vos Ecclesiæ Pisanæ concessit, & Metropolitico jure subjecit. Nos itaque, qui in sedis Apostolicæ administratione licèt indigni disponente Domino sibi successimus, eandem concessionem antecessoris nostri bonæ memoriæ Adriani Papæ vestigiis inhærentes, auctoritate Apostolica confirmamus, & ratam manere censemus, ejusdem quoque prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, vos primatus honore super Turritanam provinciam decoramus, legationem quoque Sardiniæ à prædecessore nostro Papa Urbano prædecessoribus tuis concessam, & à felicis memoriæ Innocentii, & sanctæ recordationis Eugenii, atque Anastasii Rom. Pont. privilegiis in perpetuum roboratam, tibi tuisque successoribus præsentis scripti pagina confirmamus, & confirmationem ipsam ratam, & inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere. Denique ut Pisana Civitas, quæ favore cælestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum urbes plurimas subjugavit, amplius honoretur, equo albo cum navo albo in processionibus utendi, & Crucem vexillum scilicèt Dominicum per subjectas vobis provincias portandi, tibi tuisque successoribus licentiam damus Pallei quoque usum fraternitati tuæ concedimus, ut videlicèt eo secundum consuetudinem Pisanæ ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium Episcoporum in Corsica, Aleriensis scilicèt, Ajacensis, & Saguntini, ac prædictorum duorum in Sardinia, & Populoniensis Episcopi, quorum Metropolitanus existis. Si qua igitur in posterum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine distinctè ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ hæc ipsa servantibus sit pax Dom. N. Jesu Christi, quatenus, & hic fructuum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Signum Papæ Alexandri Tertii.

Vias tuas Domine demonstra mihi.

† Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ss.
† Ego Ubaldus Hostiensis Episcopus ss.
† Ego Bernardus Portuensis, & S. Rufinæ Episcopus ss.
† Ego Gualterius Albanensis Episcopus ss.
† Ego Hubaldus presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem ss.
† Ego Joannes presbyter Card. tit. S. Anastasiæ ss.
† Ego Albertus presb. Card. tit. S. Laurentii in Lucina ss.
† Ego Jacintus Diac. S. Mariæ in Cosmedin ss.
† Ego Ardicio Diac. Card. S. Theodori ss.
† Ego Joannes Diac. Card. S. Mariæ in Porticu ss.

Datum Jan. per manum Hermanni S. R. E.

S. R. E. Subdiac., & notarii, vij. Kal. Febr. Indict. 10. Incarnationis Dominicæ anno M.CLXI. Pontificatus D. Alexandri Papæ 3. anno tertio.

INNOCENTIUS EPISCOPUS servus servorum Dei

Venerabili Fratri Hubaldo Pisano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

SI sua cuique jura illibata servamus, & eos, qui in Ecclesia Dei pro injuncto sibi officio, & devotione sincera plus aliis elaborant digna retributionis vicissitudine diligentius, ac specialius honoramus, quod nostrum est juxta commune debitum, sicut debemus exequimur, & Apostolicæ sedis honorem integrè custodimus. Proinde cum felicis memoriæ prædecessor noster Innocentius Papa de discordia, & guerra, quæ inter Pisanam, & Januensem Civitates extitit multas hominum clades, & Christianorum captivitates innumeras provenisse considerans utriusque parti saluti, tam spiritualitèr, quam temporalitèr, paterna sollicitudine studuerit providere, atque pro bono pacis, & recompensatione Episcopatuum, quos utique à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ecclesiæ Pisanæ concessos in Insula Corsicæ à prædecessore tuo bonæ memoriæ Archiepiscopo Huberto accepit, in Galluriensi judicatu, duos Episcopatus Galtellinensem videlicèt, & Civitatensem, & Populoniensem Episcopatum sibi, ejusque successoribus, & per eos ecclesiæ Pisanæ concessit, & metropolico jure subjecit. Nos qui in Sedis Apostolicæ administration . . . . nente Domino sibi successimus eandem concessionem antecessorum nostrorum fęlicis memoriæ Adriani, Alexandri, Clementis, & Cælestini Papæ vestigiis inhærentes auctoritate Apostolica confirmamus, & ratam manere censemus. Prædecessorum quoque nostrorum vestigiis inhærentes vobis Primatus honorem Turritatæ provincię confirmamus. Ad majorem etiam honoris cumulum Pisanæ civitatis, ut Pisana ecclesia cum universo ejusdem civitatis populo in fidelitate, atque devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ jugiter perseveret, & in ipsa quotidiè augmentetur, pro devotione quoque & honestate sua frater Hubalde Pisan. Archiep. personam tuam, & per te Pisanam ecclesiam ampliore munere volumus decorari. Tibi ergo, tuisque successoribus Primatum super Calaritanam, & Arborensem provincias datum concedimus, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmamus, ita quidem ut eos ad Concilium vocandi excessus eorum corrigendi, & in doctrina Apostolica confirmandi, atque cætera omnia, quæ ad jus Primatus pertinent in eos exercendi habeant liberam facultatem verum tamē supradictarum duorum provinciarum Archiepiscopos ad Concilium non vocabitis Pisas sine conscientia Romani Pontificis, super Turritanam verò provinciam dignitatem primatus, sicut à prædecessoribus nostris ecclesiæ Pisanæ concessum est habeatis, legationem quoque Sardiniæ à prædecessore nostro Papa Urbano prædecessoribus tuis concessam, & fælicis memoriæ Innocentii; & Sanctæ recordationis Eugenii, Anastasii, & Cælestini Romanorum Pontificum privilegiis in perpetuum roboratam tibi tuisque successoribus præsentis scripti pagina confirmamus, & confirmationem ipsam ratam, & inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere. Denique ut Pisana Civitas, quæ favore Cælestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum Urbes plurimas subjugavit amplius honoretur, equo albo cum navo albo in processionibus utendi; & Crucem vexillum scilicet dominicum per subjectas vobis provincias portandi, & per spatium illud Vulterran Episcopatus, quo de Pisano Episcopatu ad Populonien. transitur, tibi, tuisque successoribus licentiam damus Pallei quoque usum fraternitati tuæ concedimus, ut videlicèt eo secundum consuetudinem Pisanæ Ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium episcoporum in Corsica, Allerien. videlicèt Aicen. & Sanguntin. ac prædictorum duorum in Sardina & Populonien. Episcopi, quorum Metropolitanus existis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum digna satisfactione

correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax D.N. Jesu Christi quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia ætatem pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Signum Papæ Innocentii Tertii.

Fac mecum Domine signum in bonum.

† Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ss.
† Ego Octavianus Hostiensis, & Velletrensis Episcopus ss.
† Ego Petrus Portuensis, & S. Rufinæ Episc. ss.
† Ego Petrus tt. S. Ceciliæ presbyter Card. ss.
† Ego Jordanus presb. Card. S. Pudentianæ tt. S. Pastoris ss.
† Ego Joannes tt. S. Clementis Card. Viterbien. & Tuscan. Episc. ss.
† Ego Guido presb. Card. S. Mariæ Transtiberim tt. S. Calixti ss.
† Ego Hug. presb. Card. S. Mart. tt. S. Equitii ss.
† Ego Joannes tt. S. Stephani in cælio monte presb. Card. ss.
† Ego Soffressus tt. S. Praxedis presb. Cardin. ss.
† Ego Gratianus SS. Cosmæ, e Damiani diacon. Card. ss.
† Ego Gerardus S. Adriani diac. Card. ss.
† Ego Gregorius S. Mariæ Aquiro diac. Card. ss.
† Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum diac. Card. ss.
† Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin diac. Card. ss.
† Ego Petrus S. Mariæ in Vialata diac. Card. ss.
† Ego Cenc. S. Luciç in Orthea diac. Cardin. ss.

Datum Lateran. per manum Rainaldi Domini Papæ Notarii Cancellarii vicem agentis, Indictione 1. Incarnationis Dominicæ anno 1198. Pontificatus verò domini Innocentii Papæ III. anno primo.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis.

Fridericus, divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus.

SI venerabilium petitiones personarum circa augendas Ecclesiarum commoditates clementer admittamus, credimus nobis apud Regem Regum ad ęterni regni meritum, & temporalis Imperii prosperiorem decursum proficere, & eos quos effectibus suarum honoramus petitionum non dubitamus nobis, & Imperio fideliores de cætero, ac magis devotos existere. Ea propter omnibus Christi, & Imperii nostri fidelibus tam futuris, quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos ob animæ nostræ salutem, & propter dilecti, ac fidelis nostri Ubaldi Pisanæ Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi petitionem ipsi jam dicto Archiepiscopo, suisque successoribus in perpetuum Imperiali nostra munificentia dedimus, & in feudo, & beneficio concessimus, & pragmatica sanctione ejus confirmamus, & inconvulsa stabilitate eis permanere decernimus omnia bona illa, & possessiones, & jura, quæ dilectus patruus, & prædecessor noster piæ memoriæ Rex Conradus ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Balduino, ac ipsius successoribus dignoscitur tradidisse, concessisse, & confirmasse. Hæc enim credimus Imperio diminutionem non inferre, cum Imperii Ecclesias donis nostris augere studemus, & exaltare. Ex his autem quædam propriis suis exprimere vocabulis dignum duximus, scilicet curtem de Avane cum bovario, & in morlo, & omnibus suis pertinentiis, terras in palude Pisana juxta Burras positas. Item unam petiam de terra, pratum in prefata palude propè campum de Arsule posit., quæ cohæret ab uno capite terræ monasterii Sancti Viti, ab altero fluvio Auseris: latus unum extenditur in paludem, alterum latus in ducaria, quæ dicitur Cula, sicut ipsa ducaria defluit versus præfatum fluvium Auseris, curtem de Blentina cum omnibus terris, & rebus ad curtem ipsam pertinentibus, placitum, & fodrum de Buiti,

Buiti, placitum, & fodrum de vico Ausurissole, placitum, & fodrum de Sylva longa, Gunsum vetus, & novum, placitum, & fodrum, & albergariam de Pugnana, & Valtriana, placitum, & fodrum de Vada, & Rassinnano, & omnes res, & terras in supradictis curiis Marchia pertinentes, paludem totam de Mortajolo, & tertiam in stagno positam, feudum spectatorium, qui morantur in burgo sancti Pauli in Chintica, presas Cassiaulensium, & illorum de Ripule in campo Lepojano positas. Prædictas igitur curtes cum omnibus suis pertinentiis, & omnibus terris, vineis, montibus, & planis, cultis, & incultis, sylvis, buscariis, stirpetis, pratis, paludibus, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscariis factis, & faciendis, salinis, molendinis in jam dictis curtibus, & prænominatis locis, & eorum finibus regio, seu Imperatorio juri pertinentibus, præfato dilecto, ac fideli nostro Ubaldo Pisanæ sedis venerabili Archiepiscopo, & suis in perpetuum successoribus concessimus, tradidimus, & confirmavimus. Confirmamus etiam nostra auctoritate contractum habitum inter Pisanum Archiepiscopum Ubertum, & Abbatem de Morrona, scilicèt de Marrona, & Wiario, & eorum pertinentiis. Præterea irritum decernimus feudum de Livurna concessum irrationabiliter marchionibus. Decernimus etiam, ut de his omnibus nulli personæ ecclesiasticæ, vel seculari feudi nomine, vel alio aliquo titulo liceat aliquid ab Ecclesia alienare. Quod si factum fuerit, irritum habeatur. Præterea donamus, & concedimus præfato Archiepiscopo Ubaldo, suisque successoribus in perpetuum tributum, quod ripaticum vocatur, & ab omni parte Pisanæ civitatis debetur, atque statuimus, ut à quibuscumque petitur, & exigitur ab eo, suisque successoribus, ad partem Pisanæ Ecclesiæ petatur, & exigatur. Concedimus etiam, & confirmamus eidem Archiepiscopo, & suis successoribus donationem quam fecit Berta Batrionis, salva in omnibus prætaxatis imperiali justitia. Siquis igitur Archiepiscopus, Episcopus, dux, marchio, comes, consul, commune, vel aliqua persona ecclesiastica, vel secularis contra hanc nostræ constitutionis, & donationis paginam, aliquatenus venire præsumpserit, centum libras auri purissimi, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Archiepiscopo Pisano, qui ibidem pro tempore fuerit, componat. Ut autem hæc nostris, & futuris temporibus rata semper, & inconvulsa Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopis permaneant, præsentis privilegii paginam facimus inde scribi, & aurea nostræ Majestatis bulla insigniri. Aliquos etiam de testibus, qui aderant, jussimus adnotari, qui sunt Lanfrancus Episcopus de Bruniano, Rodulphus notarius, Magister Metellus, Willelmus marchio Montis Ferrati, Henricus Wertio, marchio Wasto, Munruellus, Marchio Malaspina, Willelmus marchio de Paloth, comes Macharsus de sancto Miniate, & filius ejus Francho, comes Fredericus de Amberch, Burchardus junior præfectus de Megeburch, Federicus de Anuort, Wido de sancto Nazario, Petrus Episcopus Papiensis, & alii quamplures.

Signum D. Friderici



Romanorum Imperatorum Invictissimi.

Ego Gotefridus sacri Imperii cancellarius vice Domini Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italici regni archicancellarii recognovi.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septuagesimo octavo, indict. undecima, & Regnante D. Friderico Romanorum Imperatore Augusto, anno regni ejus vigesimo septimo, Imperii verò vigesimo quarto.

Datum apud Papiam 7. id. martii feliciter in Christi nomine. Amen.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI DEI ÆTERNI.

Anno ab Incarnatione ejusdem millesimo septuagesimo octavo, sexto Kalendas Septembris, indictione decimaquinta, Epis-

Episcopio Sanctæ Mariæ Pisanensis Ecclesiæ, ubi nunc D. Landulphus dictæ urbis Episcopus præesse videtur.

Ego Matilda filia q. Bonifacii Marchionis, atque ducis, quæ professa sum lege vivere Salica offertrix, & donatrix ipsius Episcopi Pisanensis Ecclesiæ præsens præsentibus dixi.

QUISQUIS in sacris, ac venerabilibus ex suis aliquid contulerit rebus juxta auctoris vocem in hoc seculo centuplum accipere insuper, & quod melius est, vitam possidebit æternam. Ideo ego, quæ supra Mathilda marchionissa, ac ducatrix dono, & offero à præsenti die in eodem Pisanensi Episcopio pro animæ patris, matrisque, & meæ mercede, eo tamen ordine, ut supra legitur, id est curtem unam, quæ vocatur Scannello, & medietatem curtis Popoclii, & medietatem curtis Casadici, & medietatem curtis Lusiliauli, & medietatem curtis montis Ereturii, & medietatem curtis Castri veteris, & medietatem curtis castri Sancti Ambrosii domos colcoles, cum castrorum, & cappellis inibi habentes, seu cum casis, massaritiis, & omnibus rebus, servis, atque ancillis ad supradictas curtes, & cappellas, seu castra pertinentibus juris mei, quas habere visus sum in locis, & fundis Sancti Petri Barbaroli, & plebis Sanctæ Mariæ Barbaresæ, & plebis Sanctæ Mariæ Gessi, & plebis Sancti Burdignani, & sunt præfatæ curtis cum sanctis jam dictorum castrorum, & cappellarum totarum, & jam dictarum rerum ad ipsas curtes, & castra, seu cappellas pertinentium sunt per mensuram ad justa super totas sexcentos mansos, & si amplius de mei juris rebus ad suprascriptas curtes, & castra, seu cappellas pertinentibus inventum fuerit, quam ut supra mensuram legitimè per hanc offensionis chartulam supradicti Episcopii in potestate pertineat proprietario jure, ut dictum est tam prædictas curtes, & castra, seu cappellas pertinentibus, cum sediminibus, vineis cum aeris suis, terris arabilibus, & gerbis, pratis, pascuis, silvis, stullareis, rivis, ripis, ac paludibus, seu molendinis, piscationibus, & venationibus cultis, & incultis, divisis, & indivisis, una cum omnibus jure adjacentiis, & pertinentiis earum per loca, & vocabula ad ipsas curtes, & castra, seu cappellas pertinentibus in integrum. Quas autem suprascriptas curtes, & domos colcoles cum jam dictis castris, & cappellis, seu rebus omnibus ad eas pertinentibus juris mei superius dictis, una cum accessionibus, ex ingressibus, seu cum superioribus, & inferioribus suis, qualiter superius legitur in integrum ab hac die in eodem Episcopio dono, cedo, confero, & per præsentem chartulam offersionis ibidem habendum. Confirmo insuper per cultellum festucam nodatam, wantonem, & vasonem terræ, seu ramum arboris ad partem ipsius Episcopii legitimam facio traditionem, & investituram, & me inde foras expulsam guarpivi, & absentem me feci, & ad ipsius Episcopi proprietatem habendam reliqui, & faciat exinde Episcopus, qui nunc est electus, & pro tempore in canonica supradicti Episcopatus Sanctæ Mariæ Pisanensis Ecclesiæ ordinati fuerint, & communitèr, & castè vivet, eo tamen ordine, ut supra legitur quidquid voluerit pro animæ patris, matrisque meæ mercede, ita tamen, ut medietas prædictorum bonorum sit in sumptu, & usu prædicti Episcopi, altera verò medietas ad usum, & sumptum prædictorum canonicorum communitèr, & castè viventium, eo tamen modo, ut non liceat Episcopo, vel Canonicis supradicta bona commutare, vel alienare, seu locare, aut in beneficium dare, vel aliquo alio modo alicui concedere nisi pro utilitate ejusdem Ecclesiæ, quod si Episcopus non observaverit prædicta, usufructu careat, usquequo emendaverit, & concessio, vel alienatio irrita habeatur, & prædictorum bonorum ususfructus deveniat ad ædificationem, vel restaurationem, vel thesaurorum acquisitionem supradictæ Ecclesiæ, aut in redemptionem captivorum concessa facultate alicui Clerico, qui hoc pro timore Dei curare voluerit, quod eodem modo de supradictorum canonicorum parte constitutum est, & si canonici canonicè non vixerint, prædicto usufructu careant usquequò ad communem, & castam redierint vitam, & similitèr in potestate civium deveniat. Insuper & hanc conditionem supradicto tenore Episcopo imposuimus, ut annuale, vel anniversarium matris meæ Beatricis honorificè celebretur

pro

pro mercede animæ matris meæ, patris mei, meæ sine omni mea, & meorum hæredum, vel prohæredum meorum contradictione, vel repetitione; siquis verò, quod futurum esse non credo, si ego ipsa Mathilda, quod absit, aut ullus de hæredibus, ac prohæredibus meis, seu quælibet opposita persona contra hanc chartulam offersionis ire quandoque tentaverimus, aut eam per quodvis ingenium infringere quæsierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde litem intulerimus mulctam, quæ est pœnæ auri optimi libras duo millia, & argenti quatuor millia pondera, & quæ repeterimus non valeamus vendicare, sed præsens chartula offersionis diuturnis temporibus firma permaneat, atque persistat inconcussa stipulatione subnixa, & pergamenam cum atramentario de terra elevavi, paginam, & Teuperti notarii D. Imperatoris; hanc enim chartulam offersionis tradidi, & scribi rogans. In qua subtus confirmans testibus obtuli roborandum.

Actum in burgo Marture feliciter.

Ego Mathilda in hac chartula offersionis à me facta subscripsi.

Ego Ardericus judex interfui, & subscripsi.

Signa manus Roberti filii q. Guglielmi, & Ervero figlio q. Arnulfi, seu Ordoardo filio q. . . testium lege viventium Salica.

Signa manuum Pagani filii q. Rodilandi Gualandi filii q. Sigherii, & Sigherii q. Matthæi, & Gherardi q. Lanfranchi, & Athonis fil. q. Ghisle, seu Rainerii filii, seu Sigherii Gandulfi filii q. Caroli, & Gerardo filii Golosuli testium omnium lege Longobarda viventium.

Ego qui supra Teupertus notarius D. Imp. scriptor hujus chartulæ offersionis post traditam complevi, & dedi.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Anno ab ejus Incarnatione MCIII. indict. xi. actum est hoc Nonantulæ.

MATILDA DEI GRATIA siquid est.

SANCTIS, & venerabilibus locis de nostro conferre debemus, qui Sanctorum præsidia quotidie deposcimus. Quapropter & nos & remissionem peccatorum consequamur, Sanctorum intercessione, & animarum bo. mem. Patris, ac Matris meæ remedio, & prece, charitate omnium bonorum hominum nostrorum fidelium Pisanæ Civitatis reddendo concedimus, & concedendo reddimus Operæ Sanctæ Mariæ Pisanæ Civitatis ad perpetuum habendum, videlicet ad expletionem Operis Ecclesię Sanctę Marię ejusdem Civitatis, & finita Opera Canonicis, qui justè, & regularitèr ibidem pro tempore vixerint, Castrum Papiani, & Curtem, & omnia ei pertinentia, & Castrum Livurni, Curtem, & omnia similiter ei pertinentia donamus, & petiam unam de terra eodem modo donamus Operæ Sanctæ Mariæ, & post finitam Operam Canonicis, qui ut superiùs diximus, canonicè vixerint; quæ petia de terra est posita foris muros Civitatis, propè Ecclesiam S. Nicolai, & tenet unum caput in flumine Arni, & aliud in terra, quæ detinet Capit. Ecclesiæ S. Nicolai, & unum latus in via publica, & in terra, filiorum Baroncelli, & filiorum Comiti. Præcipientes itaque præcipimus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, vel Marchio, Comes, Vicecomes, aut aliqua magna, vel parva nostrę potestatis persona præfatam Operam Ecclesiæ S. Mariæ, & Canonicos ejusdem Ecclesiæ finita Opera S. Mariæ, ut diximus, de prædictis Castris, cum eorum Curtibus, & de jam dicta petia de terra molestare, vel inquietare præsumat. Si quis verò contra hoc nostri Statuti præceptum insurgere, aut disrumpere, quod absit, tentaverit, sciat se nostram malam voluntatem incurrere, & insuper compositurum centum libras auri optimi, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Operæ S. Mariæ, vel Canonicis, qui post consumationem Operis ibi fuerint; quod ut veriùs credatur, & diligentiùs ab omnibus observetur, hanc paginam propriis confirmantes manibus, & Sigilli nostri impressione insigniri jussimus &c.



Matilda Dei gratia, si quid est.

Ego

Ego Ardericus Judex interfui, & subs.
Ego Albertus Comes, & Arduinus de Palude, & Ragimundus de Bagisio, & Ugo de Magifredo, & filii Rothonis, & Ildebrandus Vicecomes Pisanæ Civitatis, & reliqui plures interfuere.
Bernardus Notarius D. Imperatores authenticum hujus vidi, legi, exemplavi, & subscripsi.
Ego Ugo Notarius Apostolicę Sedis authenticum hujus vidi, legi, & sic subscripsi.

De prædicto Pisano Primatus honore libet mihi afferre ea quæ scripsit laudatus Abbas Ughellus d. lib. 3. de Ital. Sac. columnâ 398. nimirum.

De Primatu Archiepiscopi Pisani in insulis Corsica, Sardiniaque multi fide digni Scriptores memorant. Siquidem præter Baronium annalium Ecclesiast. tom. 12. ad annum 1132. Julianus Vivianus in tractatu de Jure patr. par. 1. lib. 3. & 12. & Augustinus Barbos. de off., & potest. Episc. tit. 3. cap. 7. hæc habet.

De Pisano Archiepiscopo quod sit Primas tradunt addit. margin. ad glos. in cap. diffinimus 22. d. ubi Archid. & Domin. idem Domin. in cap. cleros num. 20. in glos. primatibus dist. 22. præpos. in cap. concilia, Episcopos sub num. 5. dist. 17. Turrecr. in cap. provinciæ, vers. sed insurgit quæst. d. 99. Cassan. in catalogo glorię mũdi p. 4. consid. 19. in fine, Boer. de ordine, & præcedentia graduum p. 1. n. 13. & de auctoritate magni consilii n. 54. Pavin. de offic. & potestate capituli præl. 6. n. 13. Calefat. de equestri dignitate n. 94. Petr. Greg. syntagm. juris lib. 15. c. 10. n. 30. in fin. Gig. de resid. Episcoporum quæst. 18. n. 10. Marc. Anton. Cuch. instit. juris canon. l. 1. tit. 3. Sbroz. de vicario Episcopi l. 1. q. 3. n. 24. & 25. Anast. Germon. d. c. 7. n. 8. Gonzal. ad reg. 8. cancell. glos. 41. n. 14.

Sequitur tamen, ut aliquid de eo agamus, cum in exquirenda sui primatus ratione, apud quosdam esset exorta dubitatio: pro cujus solutione à primordiis rem petentes, advertendum duximus Pisanæ civitatis Episcopatum antiquissimum esse Gaudentius enim Pisanus Episcopus anno 313. in concilio penes Melchiadem Papam nominatur, & Landulpho Pisano Episcopo, ejusque successoribus circiter ann. 1078. Gregor. VII. vices suas commisit in insula Corsica, & pro labore, quem primus in ea restituenda ad Romanæ Ecclesiæ dominium suscepit, medietatem, duobus verò ejus successoribus quartam partem omniũ reddituum largitus est: arces tamen sub ditione Romanæ Ecclesiæ reservavit, quarum custodes illis, si necessitas exegerit, vult obedire, ut constat ex lib. 6. epist. Gregor. VII. epist. 12. Postmodum Urbanus II. constit. sua incip. Urbanus Episcopus, Dat. Beneventi 3. Kalendas Junii an. 1091. Pontificatus sui 4. de prædicto Gregorio VII., & de Landulpho Episcopo mentionem faciens, ita ait: Quia multis jamdudum obsequiis Pisanorum gloriosa nobilitas Romanam sibi Ecclesiam fecit obnoxiam, prędictam insulam de consilio clericorum Cardinalium, aliorumque fidelium Pisanæ Ecclesiæ commisit, & condonavit; ea conditione intersita ut per annos singulos libras quinquaginta Lucanæ monetæ Lateranensi palatio persolveret. Deinde anno sequenti 1092. idem Urbanus alia sua constit. Dat. Anagniæ per manum Joannis S. R. E. Diaconi Card. Episcopum Pisanum in Archiepiscopum promovit, palliumque concessit, cum suppositione omnium Episcoporum Corsicæ, & ut in ea Metropolitanus, & in Sardinia sedis Apostolicæ legatus cum perpetua successione existeret. Sed Callistus II. quoad suppositionem Episcoporum Corsicæ instantibus Genuensibus factum Urbani revocavit. Insurgunt Pisani, qui ab Honorio II. Genuensium spreta contradictione restitutionem obtinuerunt, ut constat ex constit. ipsius Honorii Dat. Lateran. per manum Armerici Sanctæ Romanę Ecclesiæ Diaconi, & Cancellarii 12. Kal. Augusti an. 1126. Pontificatus sui II. Verùm quia hujus rei sumpta occasione bella inter Pisanos, & Genuenses movebantur; unde cædes, incendia, & multæ Christianorum captivitates peccatis exigentibus oriebantur, Ubertus Archiepiscopus Pisanus cessit Genuensibus tres Corsicæ Episcopatus, remanentibus sibi aliis tribus, scilicet Aleriensi, Adiacensi, & Sagonensi. Unde Innoc. II. anno 1138. in recompensationem trium subtractorum Episcopatuum Corsicæ, Balduino Pisano Archiepiscopo cum variis aliis privilegiis ampliando concessit in judicatu Gall. in Sardinia Episcopatus

patus duos, scilicet Gartellenensem, & Civitatensem, & demùm Episcopatum Populoniæ, supponens eo Pisano Archiepiscopo tanquam eorum Metropolitano, & legationem Sardiniæ ab Urbano II. concessam confirmavit, & Primatum super provincia Turritana Sardiniæ dedit, quod & demùm fuit confirmatum per Eugenium III. anno 1146. & Adrianum IV. anno 1156. & Alexander III. privilegio suo Pontificali asservato in archivio publico reformationum civitatis Florentiæ, Dat. Anagn. per manum Gratiani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, & notarii 3. id. Aprilis anno 1167. Pontificatus sui 7. ampliando concessit Ubaldo Pisano Archiepiscopo primatum quoque præter Turritanam provinciam etiam super Calaritanam, & Alborensem in dicta insula Sardiniæ, & cætera per anteriores Pontifices data confirmavit, quod & postmodum fecit Lucius III. anno 1181. Urbanus III. anno 1186. Cælestinus Tertius anno 1191. & Innocentius III. anno 1198. prout constat ex libro anni 6. epistolarum, qui asservatur in bibliotheca Vaticana epistola 110. Turritano Archiepiscopo scribens post alia hæc ait: Absenti autem, vel alio tempore venienti (scilicet Pisano Archiepiscopo) non teneberis auctoritate legationis aliquatenus respondere, auctoritate verò primatiæ non plus potest in provincia Turritana, quàm primatibus universis concedunt canonicæ sanctiones. Similitèr etiam Honorius III. an. 1217. scribens Archiepiscopis, & Episcopis, ac nobilibus viris Turritan. & Galluren. judicibus, aliisque nobilibus per Sardiniam constitutis, eosdem monet quatenus eidem Pisano Archiepiscopo in iis, quę in prædicta terra sibi sunt ab Apostolica Sede tanquam primati suo, & Apostolicæ Sedis legato concessa, debitum honorem, & reverentiam impendant, ejusque salubribus monitis curent devotè, ac humilitèr obedire, & habetur in libro primo epistolarum Honorii III., qui asservatur in bibliothec. Vaticana pagina 215. Quibus privilegiis, & concessionibus Pisani Archiepiscopi enixi suæ primatiæ jure semper usi fuerunt, possessorios actus facientes, ut fecit Federicus Pisanus Archiepiscopus anno 1265. qui insulam Sardiniæ visitavit. Et Archiepiscopus Joannes anno 1302. qui Archiepiscopum Gartellinensem ex Sardinia citavit. Et Pisanus Archiepiscopus, qui anno 1400. Ecclesiam S. Mariæ ex diœcesi Turritana contulit. Sed ultra literas Apostolicas, & privilegia supradicta, Rofredus Beneventanus, qui vixit de anno 1215. & vivus permansit etiam longo tempore post compilationem decretalium Gregorii IX., cum fuerit advocatus in causa primatiæ, de qua in capitulo fin. dilation. ut habet in suo opere in titulo de juribus, quæ competunt Prælato, n. 2. dicit, quod Archiepiscopus Pisanus est Primas Sardiniæ. *Hactenus ille.*

Quibus addi potest Epistola Summi Pontificis Gregorii X. ut habetur in Regesto Vaticano ejusdem Pontificis epist. 52. fol. 92. anno 2. Necnon & altera Epistola existens in Tabulario Capitulari, relictis aliis Apostolicis Bullis provisionum, Summi Pontificis Innocentii XI. Canonicis, & Capitulo Pisano die 19. Octobris an. 1686. scripta, quæ foris ita habet, nimirum:

Dilectis Filiis Canonicis, & Capitulo PRIMATIALIS *Ecclesiæ Pisanæ.*


Intus verò prout infra:

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX literis, quas ob collatam Dilecto Filio nostro Jacobo de Angelis amplissimam Cardinalatus dignitatem grati animi vestri testes ad Nos dedistis, libentèr cognovimus gaudium, quod indè in vos derivavit; Neque enim dubitamus, quin vehementèr excitandi sitis ad pręclara ejusdem Jacobi sequenda vestigia, studiaque vestra huic Sanctæ Sedi sedulò addicenda. Ubi id agatis ipsius Sedis benevolentiam in dies magis vobis conciliabitis, ab eaque nova & illustria honoris, & gloriæ incrementa Civitati vestræ polliceri poteritis. Vobis verò interim Dilecti Filii Apostolicam Benedictionem peramantèr impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 19. Octob. 1686. Pontific. Nostri anno undecimo.

VERUM



NTEQUAM verò ex hujus Basilicæ prospectu discedamus, nonnulla de luminaribus, quæ in vigilia Festivitatis Deiparę Virginis Assumptæ quotannis fiunt post solemnem processionem breviter percurramus. In hujusmodi Ecclesia post primas Vesperas supradictæ Solemnitatis omnem præter pompam tumquoad ipsius Ecclesię apparatum; tum quoad Musicorum concentum pro concilianda majori Populi devotione adhibitam, mira luminum ornamenta conspiciuntur. Siquidem in omnium columnarum Medianæ Navis, ac Lateralis crassitie hærent magni mutuli eleganter picti intorsticia sustinentes. Ex columnarum summitate pendent magna stemmata, ubi, ut plurimùm, visuntur Symbola ejusdem Beatissimę Virginis gloriosissima gesta indicantia. Supra columnarum capita locatur lignum ad formam Epistylii coloribus expressum in longum usque ad Tribunam excurrens. Ab ipso epistylio in quolibet intercolumnio pendet elegans Stella, vel Lampadarium, luminibus repleta. Hujusmodi Epistylio inhęrent cereę candelę, quę usque ad Tribunam ductę primum luminum ordinem efficiunt. Inter, & extra columnarum arcus supradictum Epistylium alia depicta Lampadaria pluribus cereis candelis clarescunt. In marmorea coronice superiùs existente alter inhęret candelarum ordo, qui usque ad eandem Tribunam in longū decurrens una cum supradicto primo luminum ordine eadem Lampadaria in medio collocat, pulcherrimumque luminum ornamentum per totam majorem Ecclesię Navim efformat. In superioribus porticibus balaustra satis affabrè depicta consurgunt, supra quę parva candelabra prominent, quibus Stellę cereis candelis splendentes imminent. In parastatis verò earundem porticuum hęret alter mutulorum instorticia sustinentium ordo; quo, ac aliis luminum ornamentis utraque pars Medianę Navis mirabiliter illustratur. Tribuna triplicibus tantùm candelarum ordinibus in orbem dispositis, ne Arę maximę lumina confusionem pariant, coruscat. Primus, nempe Occidentalis arcus Medianę Navis, cui imminet tholus, cereis candelis in gyrum dispositis ornatur, ac ex ipso pendent stellæ septem in radiis candelarum splendore fulgentes. Secundus, videlicet Orientalis Arcus, cui pariter tholus incumbit, repletur luminibus; ex quo pariter pendet alter stellarum splendentium orbicularis ordo. In 3. Arcu, nimirum Triumphali, similis candelarum in gyrum cernitur dispositio, ac in medio visitur Beatissima Virgo plurimis Angelorum choris, ac duodecim stellis coruscantibus ornata. Hæc sanè pulcherrimum prospectum efficiunt, ac una cum Ecclesiæ apparatu, instrumentorum, & vocum concentu spectatorem singulari animi hilaritate perfundunt. Verùm, ut ejusdem Festivitatis clariùs concipiatur ordo, ejusdem ornamenta in præsenti Tabula incidenda curavi; licèt non semper, ornamentorum, ac luminum eadem servetur dispositio.

Prædictum ritum illuminandi nocturnis ignibus, facibusque totam Ecclesiam paulatim ex peculiari populi devotione erga eandem Beatissimam Virginem originem desumpsisse non est ambigendum. Ignis enim est creatura non solùm necessaria; sed etiam ad honorem destinata, ut inquit laudatus P. Roh in dd. suis Sab. Mar. edit. Bonon. an. 1679. quod & pluribus in locis eadem Deipara Virgo peculiari signo demonstravit, ut ab exemplis ex eodem P. Roh relatis clarè cognoscitur. Antiquitùs etiam à Priscis Christi-fidelibus luminaria fiebant, & præcipuè in honorem Sancti Paschatis, ut refert Eusebius Cæsariensis lib. 4. cap. 23. de Vita Constantini; ubi narrat quam pręclaro, ac splendido cultu Christianissimus Imperator Paschale Festum celebraret. Inter alia ait: Sacram vigiliam (subintellige Paschatis) in diurnum splendorem converterat, accensis totâ Urbe cereorum quibusdam columnis per eos, quibus id operis erat injunctum: lampades quoque accensę, cuncta passim loca illustrabant, adeo ut hęc mystica vigilia quovis, vel splendidissimo die splendidior redderetur &c. Illustravit hunc locum eruditissimus Valesius sequenti notâ: Christiani in vigilia Festi Paschatis maximam cereorum copiam accendebant, quod cum intra Ecclesiam dumtaxat facerent,

Constantinus etiam extra Ecclesiam cereos passim accendi jussit in honorem tantæ Festivitatis. Cumque in magnis Civitatibus noctu lumina accendi solerent in compitis, Constantinus ea nocte multoplures, & majores cereos voluit accendi, ut Gentilium animos ad Christianæ Religionis venerationem perduceret &c. De primævo Ritu accendendi lumina Clem. Alex. Stromat. lib. 1. Casal. de veter. Ægypt. Rit. Fortunius Licetus dę Lucern. ac Tertull. de Idololatr. n. 10.

Supramemoratæ solemnis processionis occasione breviter ostendam unde originem traxerit mos Pisani Cleri, totiusque Pisanæ Diœcesis gestandæ Crucis erga ipsum latorem, Clerum, & Populum sequentem. Anno 1095. Christianorum res in Oriente ad extremum discrimen erant adductę, dum pœnę omnia Turcarum, & Saracenorum dominio subjiciebantur. Quamobrem ab eisdem Christianis, eorundem infidelium servitute oppressis, cujusdam Petri Eremitę Galli ex Judęa fuit facta legatio ad Principes Occidentis, ut omnes ad unum sacrum bellum converterentur. Urbanus Papa II. generale Concilium apud Clarum-montem in Alvernis convocavit; in quo Christi-fideles ad Sacram Palestinæ expeditionem tanta vi excitavit, ut hanc in militiam adscripti fuerint quamplures clarissimi Viri, inter quos non defuerunt Pisani milites haud levi desiderio flagrantes propagandæ fidei, & eisdem Christianis afferendæ libertatis sub pręd. barbarorum tyrannide gementibus. Proindeque Pisani Cives, pręsertim cum idem Summus Pontifex Urbanus supradicta de causa Pisas accessisset, ingentem, ut notat idem Tronc. fol. mihi 34. videlicèt 120. Navium numerum pararunt, illarumque Ducem honoris gratia Daibertum eorum Archiepiscopum constituerunt, peritissimis viris pro militum regimine designatis. Tandem auris secundis efflantibus Pisana Classis è portu solvens, Soriam versus iter arripuit. Et audito nuncio, quod strenuissimus Dux Godefridus Bullionus cum toto suo exercitu eosdem Pisanos prope Niceam Bithyniæ Urbem expectaret, illuc protinus sese contulit, ubi ex utroque exercitu, præmissis promiscuæ benevolentiæ signis, consilium initum fuit, prius expūgnandi Niceam munitissimam Oriētis Urbem, deinde Antiochiam Imperii Sedem, & Syrię caput, antequam ad Urbis Jerusalē obsidionem deveniretur. Quibus tandem, non sine sanguinis effusione, expugnatis; Urbem ipsam Jerosolymam Christianorū exercitus obsidione aggreditur. Quo loci mœnia ejusdem Sanctæ Civitatis ad Orientem Pisanis militibus expugnanda obtigerunt, ubi iidem miranda proprię virtutis facinora, eo potissimū cum è turribus ligneis ab eisdē Pisanis excogitatis maximū hostibus damnum inferebatur, edidere. Hac in acerrima oppugnatione singulari favore Christianorum exercitum Deus Optimus Maximus prosequtus est; Nam in altera ex prędictis ligneis turribus cùm adesset Vexillifer Pisanus, qui in culmine hastę ipsiusmet Vexilli æneam Crucifixi effigiem gerebat. Hęc, conversa hasta, vultum erga ipsum latorem, ac milites post ipsum sequentes vertit, & clara voce inquit: *Seguitate ò Christiani, che avete vinto:* Quod & rei probavit eventus; siquidem hoc cœlesti signo maximoperè inflammati Christiani Bellatores totis viribus hostes aggrediuntur, ac vivido impetu in Urbem irrumpunt, & capiunt. Jerosolyma Divini Numinis auxilio subacta, & in ipsa Sanctissimę Crucis erecto vexillo, Imperium ibidem inter eos divisum fuit, qui vires majores in illius acquisitione suppeditarant. Proindeque Sęcularis potestas Godefrido Bullionio contigit, dum omnium Sociorum suffragiis Rex Jerosolymitanus salutatus fuit; Altera verò potestas, nimirum Ecclesiastica obtigit Daiberto Pisanorum Archiepiscopo; nam idem, suffragantibus omnibus, Jerosolymitana Patriarchali dignitate fuit decoratus; ut notat Chron. Pis. ac laudatus Ughell. d. l. 3. col. mihi 422. adeoq; duo exercitus singulari quidē honore ob egregiè navatam operam fuerunt affecti, quippe qui eorum Duces in ipsa Jerusalem Urbe fuerunt ambo Principes constituti. Rebus ita compositis Pisana Classis ex Orientali plaga discessit pretiosissimis muneribus onusta; nam idem Rex Godefridus, & Patriarcha Daibertus militibus Pisanis prædicta Sanctorū Corpora Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis dono dederunt una cum vase è porphy-


retico


BONE PASTOR NOS TVERE
I N R I
Imago Christi crucifixi ex ære, quem ad Pisanos milites conuersum in Hierosolimitana oppugnatione fama est victoriam prædixisse.
Vna ex lapideis Hydrÿs, ubi in nuptÿs Canę Gallileę aqua in vinum uersa est, ut ex catalogo S.S. Reliquiarū Primatialis Ecclesię Pisanę habetur.
EFFIGIES REDEMPTORIS CRVCIFIXI EX LIGNO, QVI E NAZARETH CIRCA X. SÆCVLUM PISAS ADDVCTUS IN MAIORI ECCLESIA COLLOCATUS EST, SED POSTMODŪ ANNO MDLIX IN ÆDEM DIVÆ ANNÆ SACRĀ TRANSLATUS MAGNA CIVIŪ VENERATIONE COLITVR.

retico marmore, quod ex illis eſſe, ut diximus, in quibus Redemptor Noſter in Canæ Galileæ Nuptiis aquam in vinum commutavit, fama eſt; His addita fuit ænea Crux, quam ſupramemoravimus, ac altera ex ligno Crucifixi effigies in Civitate Nazaret è ruderibus eruta. Hoc, inquam, ſingulari theſauro ditata Piſana Claſſis proſperum iter in Patriam proſequuta eſt. Illius denique audito felici adventu, ac habitâ SS. Reliquiarum notitia Clerus cum toto Populo Piſano ſolemni proceſſione eiſdem obviam ivit in hymnis,& canticis,illaſque ad majorem Eccleſiam maximâ pompâ tranſtulit, ac honorifico in loco collocavit. Inſignis verò beneficii per memoratam ęneam Redemptoris Imaginem obtenti, ne interiret memoria, Capitulum Piſanum cum cæteris de Clero, ut opinor, Daiberto Archiepiſcopo in Patriarchali Jeroſolymitano Throno ſedente,Crucem in poſterum omnibus in ſupplicationibus vel publicis,vel privatis latorem verſus, Clerum, & Populum ſequentem deferendam cenſuit. Qui mos geſtandæ Crucis in Diœceſi Piſanâ etiamnum ſervatur. Crux illa ænea cum Crucifixi Imagine hac in Baſilica maxima Civium veneratione colitur, ac eadem quotannis in fine ſupradictæ proceſſionis cuilibet de Clero, cuilibet de Senatu, cæteriſque Piſanis Magiſtratibus comitantibus deoſculanda porrigitur, ut omnes illo oſculo Sancto ea, quæ Chriſtus Dominus Majoribus fecit, in corde retineant; & ut illo Redemptionis humanæ monimento incenſi eodemmet Redemptore in Cœleſti, ac vera Jeruſalem Urbe poſt brevem hujus vitæ luctam, perfruantur. Ejuſdem æneæ crucis iconem in in præſenti tabula n. 2. cernes; alterius verò ex ligno, quæ modo in D. Annæ templo aſſervatur, ex eadem tabula n. 1. accipies. De hoc ligneo Chriſti Crucifixi ſimulacro plura memorat laudatus Troncius præcit. loc. pag. 36. Illud etiam putant aliqui de tempore trium Iconomachorum Imperatorum, videlicet Leonis Iſauri, Conſtantini Copronimi, & ejuſdem filii Leonis, quo execrabile bellum in pias Imagines exarſit, ac fœdiſſime vaſtatæ fuerunt Orientales Eccleſiæ, præmemoratis ruderibus obrutum fuiſſe.

Tab. 20

Ichnographia Baptisterÿ Basilicę Pisanę



A

Scala cubit: Florentin.


Camillus Rainerius Burghius delin.

DE BAPTISTERIO BASILICÆ PISANÆ
CAP. XII.
De Loco.



BSOLUTA Basilicæ Pisanæ descriptione, superest, ut de præcipuis illius Exedris (sic enim sacrarum ædium appendices appellat Eusebius lib. x. hist. Eccles. cap. IV.) aliquid dicamus. Harum tres potissimum celebriores habentur, nimirum Baptisterium, Cæmeterium, ac Turris Campanaria. A Baptisterio ordiemur, quo nomine compendiosè appellant Christi-fideles locum Sacræ Regenerationis Lavacro destinatum. Hoc seorsim à templo juxtà veterem consuetudinem, ut benè advertit idem Eusebius loco proximè citato, extructum est. Acceptissimus namque priscis temporibus mos fuit baptisteria propè, & extra Ecclesias ædificare, quale hodiè visitur Romæ Constantinianum juxta Basilicam Lateranensem ædificatum, & in aliis primariis Italię Urbibus Florentię, Ravennæ, Bononiæ, Parmæ, & aliis fortasse quod nos adhuc latet, ubi Metropolitanarum Sacri Fontes sejuncti ab eis reperiuntur; Veterisq; hujus consuetudinis certam fidem facit D. Paulin. Ep. 12. Brisson. ad L. Dominico C. Theod. de Spectac., Steph. Duran. de Rit. Eccl. c. 19. fol. mihi 41. & alii Relat. à præd. Carolo du Fresne Domino du Cange in sua Constan. Christ. lib. 3. pag. mihi 72. ibidemque ostendit Baptisterium Ædis Sophianæ extra eandem, ac versus infimam partem extructum: Et quidem non sine ratione id peractum videtur, quippè qui per baptismum unusquisque ad ipsam Sacrosanctam Ecclesiam insinuatur; ita Gregor. Turon. lib. 5. cap. 11. Domin. Macr. in suo hyerolex. verb. Baptisterium pag. mihi 71. Antequam verò ad hujus Templi interna præcipuaque accedamus, aliquid de illius externis partibus prælibabimus illiusque Ichnographiam, seu Vestigium sub oculis positam inspiciemus. Ex area rotunda quadratis strata marmoribus, è cætero Urbis solo tribus gradibus elevata nobilissimum hoc ædificium attollitur ad formam magni tholi, vel potiùs ad similitudinem veteris rotundi Templi græcè Monopteri, vel alterius rotundi templi paritèr græcè Peripteri nuncupati in verso tamen ordine quoad inferiorem porticum, cum intus sit, extructum. Veteres enim Cœli naturam imitati in primis rotundis templis sunt delectati; eorum quæ sine Cella sunt, sed columnis tantum circumvallata Monoptera dicuntur; quæ Cellam habent Periptera vocantur, ut inquit Vitruvius lib. 4. cap. 7. Philander in annat. lib. 4. ejusdem Vitruvii. Hujus Peripteri Templi exemplar Romæ adhuc visitur B. V. Mariæ dicatum sub denominatione Solis, olim S. Stephani *delle Carrozze* ad Ripam Fluminis. Hujus areæ diameter, sive chorda hemycicli computatis gradibus est palm. 208. tota verò area computatis iisdem gradibus in gyrum ad palm. 614. excurrit.

Tab. 21



Orthographia Baptisterij Basilicę Pisanę, et eiusdem Ichnographia

Ioseph. et Franc. de Milanis fr.tr delin. Pisis

Io. Hieronymus Frezza Sculp. sup. perm.

De partibus exterioribus Baptisterii.

CAP. XIII.



PARIETES omnes hujus Ædificii albo ex marmore constant lineis ceruleis distincto. Duobus verò iidem extrinsecus columnarum ordinibus, quorum alter alteri incumbit, exornantur. Secundo columnarum ordini imminet elegantissimum ornamentum ex marmore elaboratum, quod tanquam regia corona totam eandem Ecclesiam circumdat, & illustrat. In hujusmodi ornamento plures fenestræ prostrant, per quas lux intus ingreditur; ac plura Sanctorum, & Prophetarum marmorea simulacra, quorum alia suis in loculamentis marmoreis perelegantèr exculpta; alia supra eorumdem ornamentorum cuspides erecta conspiciuntur. In prædicto Sanctorum, ac Prophetarum ordine suo in loculamento prominet Beatissima Virgo cum Puero, & hinc inde quatuor Evangelistæ cum hieroglyphicis in loculamentis efformantur. E tympani fastigio reliqua Tholi moles attollitur, cujus superficies exterior ferè tota laminis plumbeis strata in arcuatum parietem flectitur, deindè parum exsurgit, ac tandem in acumen definit. Hæc dividitur à duodecim anteridibus cristatis in totidem æqualia spatia. Horum in medio ad Orientem prominent marmorea Sanctorum loculamenta affabrè elaborata. Loco pilæ in cuspide erigitur pulcherrimum æneum Divi Joannis simulacrum palm. 15. ab egregio viro Joanne Bologna expressum. Tribus januis patet aditus in Ecclesiam; & ex his mediana miris cælaturis decoratur. Siquidem duæ columnæ marmoreæ illam exornantes etiam in crassitie eleganti opere anaglyptico exculptæ sunt. Aliæ verò duæ proximiores, licet subtiliores, non rudi semianaglypto artificio incisę consurgunt. In parastata ejusdem medianæ Januæ à dextris introeuntium visitur in marmore Christi Domini Sedentis imago, subter duo Angeli; deindè ejusdem Redemptoris discipuli; propè finem idem Dominus manu Crucem gestans, ac à Limbo animas antiquorum Patrum deducens; ultimo demum in loco David Regis effigies volumen explicatum exhibentis apparet. A sinistris introeuntium, mensium hieroglyphica cum suis inscriptionibus inspiciuntur. In Epistylio varia Redemptoris Mysteria in marmore opere anaglypto elaborata sunt, nimirum quando idem humani generis Reparator sermonem habet ad Populum, & quando idem Dominus à Joanne Baptizatur; Insuper ejusdem Joannis nonnulla gloriosa gesta, ac in fine ejusdem S. Pręcursoris decollatio exhibentur. In prima Icone cernitur Christus Dominus monti insistens cujus dextera benedicentis more elevata est; sinistra verò volumen complicatum detinet. Volumē illud, ut suprà annuimus, nihil aliud significat, quam novæ legis editionem Christo Domino referendam, sicut enim, ut inquit laudatus Ciampinius, Deus legis antiquæ tabulas Moysi traditurus illum accersivit in summum apicem Montis Sinai, ut ab ipsa loci altitudine sublimitas præceptorum dignosceretur; ita æternus Dei Filius majora præcepta oblaturus populo, par erat, ut è montis Cathedra cælestis Doctrinæ suæ aperiret exordium. Pręstat Augustini verba lib. I. de Serm. Domini in Monte referre; *Si quæritur* (inquit ibidem Sanctus Doctor) *quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quam minora erant quæ Judæis data sunt.* Volumina


na similia, quæ in Apostolorum manibus visuntur, acceptam ab eodem docendi facultatem indicant, quam non incongruè manibus retinent, cum ab eodem Christo didicerint *facere, & docere*. Plures etiam ibidem Palmorum visuntur arbores inter eosdem discipulos assurgentes; quæ quid significent superiùs annuimus, cum de veteri janua sermo fuit. Altera in icone visitur ejusdem Redemptoris baptismus per immersionem celebratus: ibi Spiritus Sanctus, Divus Joannes, ac Angeli vestes manibus gestantes repræsentantur, de quibus paritèr alibi dictum fuit. In proximo iconismo D. Joannis historia repręsentatur eodem opere Anaglypto exculpta. In Zophoro ejusdem Januæ visitur Christus Dominus sedens cum Beatissima Virgine, & hinc inde Apostoli, interjectis Angelis baculum tenentibus, ac in fine utrimque Palmæ arbor cum fructibus. Supra Januam in suo loculamento attollitur Deiparæ Virginis Puerum amplexantis effigies; à dextris D. Joannis Baptistæ; à sinistris, ut opinor, D. Joannis Evangelistæ simulacra consurgunt. In medio arcus ejusdem Januæ prædictis egregiæ cælaturæ columnis incumbens prominet ex marmore Agnus cum diademate Cruce distincto, ac dexterum pedem elevans quo Crucem sustinet. Hinc inde in gyrum in suis orbiculis marmoreis inspiciuntur vigintiquatuor senes, quorum alii citharam, seu lyram; alii, ut opinor, lagenam manu velatâ deferunt, ac omnes bireto, vel potiùs diademate pretiosis gemmis, ac duplici margaritarum ordine decorato insigniuntur. Hæc quidem Arcus hieroglyphica videntur repræsentare illud Apocalypseos D. Joannis cap.4. n. 8. 9. 10. nimirùm vigintiquatuor seniores coram Agno psallentes; ibi: *& vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, & cantabant canticum novum dicentes, dignus es Domine aperire librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione; & fecisti nos Deo Nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.*

Religiosa æquè, ac elegantia Patrum ingenia, quo aptus cum majestate templorum ornatum componerent, ea præ cæteris elegerunt emblemata, quæ & sacris continentur literis, & angustiori specie oculos, animumque spectantium detinerent; elegerunt itaque hic illud, ut diximus Apocalypseos cap. 4. à D. Joanne designatum; Sicuti enim prima post Cœlum apertum visio ea est; de qua ibi Apostolus agit; ità primo introeuntibus baptizandis ad Tabernacula Dei, aptè voluerunt eamdem Throni cœlestis effigiem occurrere. Prędicta mensium hieroglyphica videntur ostendere brevem hujus ætatis decursum, de quorum epigraphis plura notat eruditissimè Lilius Gregorius Gyrald. dissert. de annis, mensibus, cæterisque temp. part. Christus Dominus verò cum Angelis, & Apostolis in altera parastata quid Sacro Fonte Renatis hac labili tempestate agendum sit non obscurè demonstrant.

Altitudo Templi dempto illo æneo Divo Joannis simulacro est palm. 240. & ultrà: Rotunditas extenditur ad palm. 509. Latitudo diametri non computatis areola, & gradibus ferè palm. 166. explet, quibus computatis, ad palm. 208. decurrit, ut superiùs in tabula XII. ostendimus, & ex ipsa ibidem posita scala etiam parietum, columnarum, ac cæterarum partium mensuras accipies. Templum hoc fuit incæptum anno 1152. mense

mense Augusti, ut ex inscriptione in ejusdem Ecclesiæ parastata expressa liquet; Absolutum verò fuit anno 1160. ut eruitur ex quodam pervetusto codice in ejusdem Primatialis Basilicæ Archivio existente. Artifex ædificii fuit Deotisalvi, prout Epigraphe in alterâ ejusdem Baptisterii parastata sculpta indicat; nempè: *Deotisalvi huius operis magister*: Opus quidem, ut notat idem Vas.l.1. in Procem.vit.pag.mih.74., maximum, ac difficile factu, tum propter innumera marmorea ornamenta, quibus ferè totum extrinsecùs illustratur, tum ob ejus mirabilem Tholi molem ad formam vulgò, *di Pera*, constructam.

De



Ioseph et Francis. fr.lli Milani delin. Pisis

Io. Hieronymus Frezza sculp. sup. p.

De partibus interioribus Baptisterii.

CAPUT XIV.

ERLUSTRATO exteriori Baptisterii latere modo ad partem interiorem progrediamur. Hujus Templi gremium, seu corpus sphæricum duobus Navium in gyrum circumductarum ordinibus, quorum alter alteri imminet, nobilitatur. Inferioris Navis columnæ marmoris numidici sunt numero duodecim computatis parastatis; ut hoc numero, ni fallor, Zodiaci signa indicarentur; prout refert eruditissimus electus Patriarcha Aquil. Daniel Barbarus in annot. lib. 4. c. 7. Vitruvii. Hæ omnes altitudine una cum basi, & capitello palm. 42. in gyro autem 16. circiter explent. Hisce columnis arcus 12. imminent marmorei, ac alteram Navim, seu porticum in gyrum pariter efformatam, cui interior arcuatus Tholi paries, seu testudo incumbit, suffulciunt. Hic aeris repercussio, vulgo *Echo*, distinctè ostenditur; nam vox fortiter emissa, cum non reperiatur in culmine nisi parva lateralis rotunda fenestra, per aliquot temporis intervallum conservatur. Muri omnes intrinsecus albo ex marmore extructi sunt nigricantibus lineis interjectis; eorumque latitudo pal. 10. excedit. Pavimentum albo è marmore lineis ceruleis striato constructum est; prope tamen parietem duobus gradibus marmoreis in gyrum assurgit.

Ingredienti majorem Januam signatam litt. A. primò occurrunt vasa aquæ benedictæ. Horum ex altero, nimirum ad sinistram introeuntium, seu in Meridiem, D. Francisci simulacrũ affabre exculptũ consurgit; ex altero verò D. Petri effigies prominet duas claves manu dextera tenentis. Observandum est hic duarum clavium numerum in iconismis non semper exprimi, cũ etiã in ejusdem Sancti manibus unica tantum clavis aliquando efformetur, prout etiam visitur in plumbo cujusdam privilegii Canonicis Pisanis concessi à Nicolao II. qui floruit anno 1059. cujus initium est ita:

NICOLAVS EPISCOPVS servus servorum Dei.

Dilectissimis Canonicis Gloriosæ Genetricis Dei, perpetuæ Virginis Mariæ Ecclesiæ Sitæ juxta muros Civitatis Pisanæ, eorumque successoribus in perpetuum æternam in Christo Salutem.

CVM divinitatis occulta dispensatio dignata sit nos ad hoc in summam universalis Ecclesiæ speculam sublimare ut saluti omnium generaliter invigilemus, quieti tamen, & utilitati venerabilium locorum specialiter prospicere, & pro Religiosorum voto gratansius annuere debemus, iustis enim petitionibus facilis debetur assensus, & piis desideriis promptus pro posse effectus. Quapropter Carissimi filii præfatæ Canonicæ perpetuæ Virginis Mariæ Ordinarii, quia petistis à nobis ut vos vestramque Canonicam cum omnibus bonis quæ nunc habet, aut in futurum iuste acquiret sub Apostolicæ defensionis tutela susciperemus &c.

Datum Florentiæ VIII. Decembris per manus Mainardi Monachi &c.

Plumbum ex illo pendens habet ex uno latere manum Divo Petro unicam clavem porrigentem cum literis in gyro, nimirum † *Tibi Petro dabo*

dabo Claves Regni Cœlorum; ex altero verò latere Urbem ſuper quam ſcriptum eſt: *Aurea*: ac ſubtus; *Roma*: in gyro autem: *Nicolai Papæ Secundi*. Quid autem unica tantum denotet clavis juxta S. Ambroſii auctoritatem Petri fidem denotare arbitror, dum idem Sanctus Doctor in fine ſermonis de Jejunio Eliæ, ſic loquitur; *Ecce video Cœlos apertos, & ſtantem Jeſum ad dexteram Dei. Ergo cui clauſi ſunt Cœli agendum eſt, ut aperiantur illi, quatenus ſuper Cœlos Chriſtum poſſit aſpicere: Nam quamdiù clauſi ſunt homini, Chriſtum non poteſt videre regnantem. Quemadmodum autem clauſi Cœli aperiendi ſunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non poſſe, niſi claves Petri Apoſtoli ſumpſerimus, quas Domino largiente ſuſcepit, ſicut ipſe dixit: Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Immo rogemus Petrum ut ipſe nobis tamquam bonus Janitor Regiæ Cœleſtis aperiat. Quæ autem iſta clavis ſit, diligentius requiramus. Clavem Petri, fidem eſſe dixerim Petri, per quam Cœlos aperuit, petravit inferna ſecurus, maria calcavit intrepidus: Sancta enim Apoſtolicæ Fidei virtus eſt, ut cuncta illi elementa pareant, hoc eſt non illæ Angelicæ claudantur ianuæ, non portæ prævaleant tartari, non aquarum fluenta ſubſidant. Iſta autem ipſa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum conſtet, & quemadmodum ſolida ſit: Arbitror illam duodecim Artificum operatione conflatam: Duodecim Apoſtolorum Symbolo Fides Sancta concepta eſt qui velut periti Artifices in unum convenientes clavem ſuo conſilio conflaverunt: Clavem enim quandam ipſum dixerim, per quod reſerantur diaboli tenebræ, ut lux Chriſti adveniat: aperiuntur conſcientiæ clauſa peccata, ut iuſtitiæ fulgeant opera mnnifeſta. Igitur hæc clavis oſtendenda eſt fratribus noſtris, ut ipſi tanquam diſcipuli Petri inferna ſibi reſerare, Cœlos aperire conſueſcant.*

De duabus autem clavibus: alii ut magis literalem Sacræ Scripturæ ſenſum tenere volentes duas appinxere claves, quarum altera denotat ſcientiam, altera verò Poteſtatem claudendi, & aperiendi, ſcilicet ligandi, & ſolvendi, ut tradit D. Thomas Aquin. in 3. lib. Sent. diſt. 18. quæſt. 1. ubi de clavibus ita: *Claves iſtæ ſunt non corporales, ſed ſpirituales, ſcilicet diſcernendi ſcientia, & potentia iudicandi, ideſt, ligandi, & ſolvendi, qua dignos recipere, indignos debet excludere à Regno Eccleſiaſticus Judex. Qui ſicut habet ius ligandis, ita & ſolvendi. Unde D. Ambroſius. Dominus par ius ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit. Ergo qui ſolvendi ius non habet, nec ligandi habet*, & infra, *certum eſt quod Eccleſiæ utrumque licet, hæreſis utrumque non habet. Jus enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Recte ergo Eccleſia hoc ſibi vendicat, quæ veros Sacerdotes habet. Hæreſis vendicare non poteſt, quæ veros Sacerdotes non habet.*

Olim etiam ternæ claves S. Petri appingi ſolebant, de quibus eruditiſſimi Viri Raynaudus in ſuo tract. de corona Romani Pontificis, ac prænotion. 4. §. Ex juxta; Ac Alemannus in ſuis Lateranenſ. pariet. cap. 10. ubi tres Claves breviter ſic exponit: *Triplici ergo clave cum ampliſſimam Petri poteſtatem maiores adnotaverint quid præter genuinum illud ligandi, ſolvendique ius, ulterius innuerunt? Scilicet ſenſerunt poteſtatem illam, quæ ad continendam in officio Chriſtianorum Rempublicam Petro conceſſa eſt, iure ſuo longè, latèque manare, extendique cum opus eſt ad civilem quoque ſtatum temperandum, qui tum optime tempe-*

ratus

ratus, ordinatusque putatur, cum ne latum quidem unguem à pietate discedit, qua una, & uno animorum bono civile omne negotium metitur Christiana Religio. Tertia igitur classis munus est illud, quod ex ligandi, atque solvendi jure consequitur, nempè Sæcularia ad Spiritualia dirigendi auctoritas. Hæc de clavibus.

1. Modo ad alia progrediamur. In rotundo ambulacro primò sese offert Ara marmorea Beatissimæ Virgini Mariæ dicata.

2. Non procul est janua lateralis ad Aquilonem, supra quam intrinsecus imminet pulcherrima tabula, ubi visuntur Nuptiæ Canæ Galileæ à prælaudato Aurelio Lomio affabrè coloribus expressæ.

3. Ostium, unde pergitur ad scalam marmoream, per quam itur ad superiorem porticum.

4. Sacrarium parvum, supra quod est suggestum Musicorum, & huic imminet tabula, ubi exhibetur Moysis effigies saxum percutientis, ut inde aqua efflueret, à supradicto Lomio pereleganter efformata.

5. Sequitur lateralis Janua ad Meridiem, cui eminet elegantissima Tabula, ubi repræsentatur magnum Regis Assueri convivium ab eodem Lomio egregio penicillo elaboratum.

6. Huic proxima est Ara, ubi Sanctorum Jacobi, & Philippi exhibentur effigies. Hanc tabulam, ut ajunt, non invenuste delineavit Franciscus Vannius.

7. Deinde occurrit Ostium, quo per alteram marmoream scalam inter parietem Templi extructam patet aditus ad superiorem navim.

8. Ostium Chori, ad quod ascenditur per tres gradus marmoreos, ubi erigitur baldachinum dum Archiepiscopus assistit, vel solemniter celebrat.

9. Septa Chori seu Presbyterii albo ex marmore, ac pulcherrimis incrustationibus marmoreis ornata. His hærent subsellia lignea scite compacta. In horum fine patent ostia lateralia Chori.

10. Chori pavimentum variis lapillis elegantèr vermiculatum.

11. Ara principalis in medio Chori pluribus marmoreis ornamentis, ac figuris nobilitata. Hac etiam in Ara Sacerdos ad Orientalem plagam Sacrum conficit. De ritu orandi ad Orientem vide Casalium ubi supra pag. 25. ibi inter cætera hæc habet. *Quoniam Deus Lux, & Creator Lucis nuncupatur, propterea orantes respiciendo Orientem Solem elevent mentem ad Creatorem Lucis.*

12. Scala marmorea, per quam ascenditur ad suggestum marmoreum. In medio gradu Scalæ prope septum Chori assurgit parva columna marmorea, cujus basis leonis dorso incumbit, & Capitellum angelorum figuris exornatum legile sustentat.

13. Suggestum sexangulare albo ex marmore, cujus latitudo ad palm. ferè 10.; ambitus verò ad palm. 35. extenditur. Propè labrum rubicundo lapide stratum supra leporem prominet Aquila marmorea ad Aquilonem, juxta Ecclesiæ ritum, expansis alis marmoreum legile sustentans pro sacro Evangeliorum codice. Suggestum hoc adeò subtilitèr, & accurate elaboratum est, ut luminis intus positi foras per idem marmor splendorem transmittat. Extrinsecus ineffabilibus Redemptoris mysteriis opere anaglypto efformatis illustratur. In areolis arcuum columnis, quibus opus innititur, imminentium Prophetarum, & Evangelistarum figuris cum suis hieroglyphicis exornatur. In angulo ad meridiem attollitur fœmina puerum manu ducens; In cæteris verò angulis nonnulli viri consurgunt, quorum alter humero sinistro pendentem Leo-

nis pellem gerit, dextero Leunculum sustinet, ac manu sinistrâ simile parvum animal detinet; Alter Catulum brachio defert; Alter Ovem in sinu tenet,ac manu levitèr palpat. Non procul visitur Angelus tunicâ indutus occluso Evangeliorum codici lævam super imponens, qui sinistro ejus genu innititur, ac in ejusdē tegmine exteriori repræsentatur Christi Crucifixi effigies. Propè, vel potiùs subter primum gradum scalę cernitur Leo in actu Cervum dilaniantis. Hoc quoque suggestum septem suffulcitur columnis è variegato marmore, & graniti orientalis lapide, quarum tres Leonum humeris animalia parva, nimirum Cuniculos, Oves, & Catulos inter anteriores pedes habentium, incumbunt; Media verò innititur socco variis Hominum, & animalium figuris exornato. Tres enim soccum hunc circumstant viri, quos inter visitur Aquila Ovem inter utrumque pedem habens; Canis venaticus, cujus propè anteriores pedes, quibus incumbit, Noctua consurgit; ac demum Leo, inter cujus anteriores pedes Vituli caput erumpit. Animalia hæc, & alia superiùs exposita hieroglyphica non ad purum ornatum, sed ad aliquod symbolum demonstrandum arbitror expressa. Quid autem indicent conjecturis puris puris nullâ certi fiduciâ fortiemur. Itaque cum inter præcipua instrumenta, quibus ad veram Religionem populus promovetur Concio è suggestu numeretur, nullos sanè pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quàm qui sapientiam, & divini sermonis mysterium non pro animarum utilitate, sed veluti aliquod venale didicerunt;Proindeque sagacem Artificem iis hieroglyphicis suggestum exornasse autumo, quibus idem divini verbi dispensator, ac cœlestis propagator doctrinæ ad suum munus exactè obeundum erudiretur. Fœmina igitur puerum manu ducens nil aliud meo judicio significat, quam charitatem, quâ flagare debet Concionator; sermo siquidem Evangelici præconis adientium vitam fovet, & alit. Quod idem significare puto cæteros viros Leunculos, & Catulos, ferentes Ovesque palpantes; Verbis enim, & artibus amore redundantibus magis homines erudiuntur; quinimo & ipsa animalia fera, ut plura monimenta demonstrant, mansuescunt.

Quoverò ad Leonem & Vitulum, Ovem & Aquilam, Canem, Noctuam & Pueros in socco pacificè simul morantes illud Isajæ cap. 11. de Vaticin. Nativitatis Christi arbitror indicare; Nam conversionem Orbis per Christum & ex Judaico, Gentilique Populo unam formandam Ecclesiam prævidens Isajas, sic enigmaticè protulit mysterium. *Et egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet &c. Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hœdo accubabit. Vitulus & Leo, & Ovis simul morabuntur, & Puer parvulus minabit eos. Vitulus, & Ursus pascentur, & simul requiescent Catuli eorum, & Leo quasi Bos comedet paleas &c. Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes*. Ac proindè ita Oratori Evangelico instruendus quisquis sicut ab Ecclesiæ cunabulis formatus,& quod ursinum, ac ferinum est in illius moribus, ut scientia Domini repleatur, lambentibus magis, quam verbis verberantibus poliat; si verò in obstinatione jam incallescente persistens modestæ, ac suavi reprehensioni non acquiescat, eundem in quantum facultas suppetit corrigat; prout hieroglyphicum Leonis Cervum dilaniātis arbitror designare, ut superius c. 6. p. 25. ostendimus. *Zelo*, inquit Beda in Jo. cap. 2., *Domus Patris Salvator impios ejecit de templo; Zelemus, & nos fratres charis-*

rissimi domum Dei, & quantum possumus nequid in ea pravum geratur insistamus.

Illud etiam Isajæ vaticinium denotare videntur memorati Leones inter utrumque pedem pueros & animalia detinentes; nam placide ac pacifice cum illis commorantur. His haud absimiles Romæ visuntur vetustissimi iconismi, nimirum in regia janua prædictæ Basilicæ S. Laurentii in Agro Verano; & in altera Ecclesiæ SS. Joannis, & Pauli. In prima cernuntur duo Leones, quorum sinister, videlicet ingredientibus, inter anteriores pedes parvulum animal innoxius tenet; dexter verò excipit inter ungues puerulum humi sedentem, ac secum velut jocantem. In secunda, nempe SS. Joannis, & Pauli duo pariter visuntur Leones, quorum alter, ni fallor, Hystricem palpat; alter ad lævam sinistrâ manu puerulum leviter tangit; dexterâ verò caput Arietis.

Idem quoque Isajæ Symbolum ostendere videtur Aquila pedibus Lepori incumbens; illa siquidem amissâ feritate, de qua Ælianus in prædict. histor. anim. lib. 4. capit. 25. pacem, & amorem exhibet, cum subjectum animal minime lædat. Huic non dissimile cernitur hieroglyphicum in epistylio nuper memoratæ Januæ SS. Joannis, & Pauli, licet ævo corrosum fere delitescat. Eminet ibidem Aquila unguibus Leporem, seu Cuniculum sustinens non tamen in actu, ut referunt aliqui, nocendi, sed ore innocuo, pacis, & amoris pleno ad similitudinem Leonum, quos supra memoravimus; hinc, atque hinc investibulo ejusdem januæ existentium. Aliud etiam simile visitur Christianæ mansuetudinis Enigma in epistylio prædictæ Basilicę S. Laurentii in Agro Verano, hâc sola interjectâ differentiâ quod Aquila epistylii præmemoratę Januę S. Laurentii loco Leporis unguibus serpentē tenet absque ullo pariter maleficio; quum alias neminem lateat gravis Aquilæ cum Serpentibus inimicitia, de qua plura Ulisses Aldrov. Histor. Serp. & Drac. lib. 1. pag. mihi 25.

Angelus deniq; stola indutus cum codice Christi crucifixi effigiem exhibente purum, & ab omni ambitioso verborum ornatu liberum Concionatorē indicat; Sermo siquidem nimis artificiosè cultus garrulitas est, & Evangelii contumelia. De hoc non obscure loquitur D. Paulus 1. Corinth. 1. numer. 17. ita habet, *non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare non Sapientia verbi; ut non evacuetur Crux Christi: Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientium sapientiam, & prudentiam prudentium reprobabo: ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huiusmundi?* Et alibi nimirum 1. Corinth. 2. num. 12. *Ego cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimoniū Christi; Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum,* ac paulo post subjungit. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum; sed in virtute Dei.*

Quę quidem Doctoris Gentium verba præoculis habuerunt vitæ Sanctitate, ac Doctrinâ præstantissimi Orthodoxæ Religionis cultores; Nam *fides pura, & aperta*, inquit D. Hieronymus epist. 62. n. 9., *non quærit strophas, & argumenta verborum; quod simpliciter creditur simpliciter confitendum est*, ac idem S. Doctor dist. 37. ait, *Nonnè videtur vobis in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus, ac noctibus dialectica arte tor-*

quetur, & dialecticorum tendiculis, quæ non tam argumenta, quam quædam umbræ, quæ cito transeunt, dissolvuntur. Quod pariter monet D. Gregorius Nissen. contrà Eunomium Orat. 12. *Si itaque ima creatura, quæ nostros usque ad sensus pertingit, modum humanæ conditionis superat; quomodo qui sola voluntate universum constituit in nostra comprehensione contineretur? vanitas hæc, & furor falsus, sicut ait Propheta putare incomprehensibilium cognitionem alicui concessam esse.* Ita quoque docuit D. Augustinus lib. 12. de Civit. Dei c. 15. *dico autem per gratiam, quæ data est mihi omnibus, qui sunt in vobis non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam; Sicut unicuique Deus partitus est mensuram.* Et Sermon. 11. capit. 12. *Nemo quærat à me occultorum rationem: Ille dicit investigabiles, & tu investigare venisti crede, iam periisti. Tale est velle scrutari inscrutabilia, quale est velle invisibilia videre, & ineffabilia fari.* Ac D. Thomas non aliter sensit, par. 1. q. 1. art. 1. ad 1. *non est affirmandum aliquid de divinis quod auctoritate Scripturæ Sacræ non est expressum*, & alibi, *quæ sunt altiora hominis cognitione non sunt ab homine per rationem inquirenda, nam,* ut idem Sanctus par. 1. qu. 1. art. 6. ad 2. testatur *propria huius scientiæ cognitio est, quæ est per revelationem, non autem quæ est per naturalem rationem*, Hoc etiam D. Anton. par. 4. tit. 11. c. 4. §. 5. in Sum. testatur inquiens, *& ideo signanter Ambrosius, ut refert Magister in 3. sentent. ubi fides queritur cessent argumenta Philosophorum; Piscatoribus creditur, non dialecticis.* Hic lubet etiam relictis plurimis aliis sanctorum Patrum monitis ea exponere quæ prudentissimè scripsit Petrus Gassendus lib. 2. adversf. Arist. exerc. 1. n. 9. *Existimarim*, inquit, *perfecto artem optimam revincendi, reducendique Hæreticos esse implorationem Gratiæ Divinæ: probam Catholicorum vitam; cognitionemque egregiam Scripturarum; Traditionum, Conciliorum, & Doctrinæ Sanctorum Patrum; ex his nempe adhibito naturali iudicio apprimè edoceri possunt, cum dialecticis argutiis, ut malæ cuiusdam causæ suspicionem inducentibus à nostra fide potiùs avertuntur.* Memorabile sanè est quod idem D. Antonin. in præ cit. cap. 4. §. 4. de simplici illo & innocente Patre, nimirum de S. Spiridione, circa cujusdam prætumidi ac præacuti dialectici refutationem & conversionem ad Orthodoxam fidem. *Cum audivi*, inquit hæreticus, *verba ab hominibus secundum rationes humanas dedi verba pro verbis. Cum autem vidi Spiritum Sanctum loqui per os huius simplicis non valui resistere Spiritui, qui loquebatur per os eius.* Sed nè diutius in hoc immoremur ad suggestum redeamus. Hujus opificii insignis artifex fuit Nicolaus Pisanus, ut constat ex versibus pervetusto caractere ibidem expressis; videlicet.

Anno milleno biscentum, bisque triceno,
Hoc opus insigne sculpsit Nicola Pisan:

Equidem opus hoc mirabile est; sicut, & illud Sepulchri D. Dominici Bononiæ anno 1225. ut refert idem Vasarius p. 1. pag. mihi 15., ab eodem Nicolao exculpti; quibus una cum cęteris ipsius operibus clarè ostenditur ejusdem singularis illius ætatis in efformandis figuris peritia.

14. Vetustissimus Fons Sacer in medio Templi extructus. Totum hoc elegantissimum opus marmoreum est, ac extrinsecus Evangelistarum hieroglyphicis, variisque anaglyphis ornamentis affabrè elaboratum. Suprà tres gradus marmoreos in octangularem formam assurgit à columnis Navis orbicularis adeo sejunctum, ut latum ambulacrum circumquaque pateat. Altitudo,

tudo, seu profunditas ejusdem operis ad 5. palmos extenditur. Diameter non computata zophori latitudine est palm. 13. quâ computatâ fere palm. 17. explet; Gyrus verò ad 55. palmos protenditur. Ejusdem vasis labrum totum è rubicundo marmore incrustatum est, ac intrinsecus prope os in orbem pervetusto charactere hi versus etsi rudes, pleni tamẽ pietate expressi sunt. *Per Dominum Christum, Fontem qui protegat istum; quo gaudia Cœli det baptizatis totius Fons Bonitatis; Et qui tam miro lavacro pia dona dedere; & qui consilium, precor, hos Baptista tuere.* Alia verba legi minimè possunt ob vasculum postmodum prope illa de novo extructum, de quo infra sub n. 15. Intus hærent Zophoro quatuor vetusta vascula, seu parvuli ambones, à dextris nimirum duo; duo verò à sinistris. Horum altitudo; seu profunditas est pal. 3. cum dimidio, latitudo, seu hemycicli chorda ad palm. 2. extenditur. E medio pavimenti caniculatis marmoribus, fortasse Jordanis flumen exprimentibus, strati attollitur stybolata supra quam est parvula marmorea columna, in cujus capite assurgit æneum D. Joannis simularum veste pellicea amicti, ac sinistra oblongam Crucem ferentis. In ejus suppedaneo sequentia verba insculpta sunt. *Laurentius de Ancroja Canonicus Pisanus, ac Templi huius Gubernator, & iurisperitus D. Joannis Baptistæ imaginem constitui, & erigi jussit M. D. XX. P.* Ex eodem styboiate plures fontes aquam in illud magnum vas eleganter emittunt. Quæ omnia clarius in sequenti Tabula cognosces.

15. Parva concha, seu marmoreum vasculum intrinsecùs in capite magni vasis prominens, ubi Sacri baptismatis ritus per aspersionem, seu per affusionem hâc ætate peragitur.

Tab. 23

Fons Sacri Baptismatis Basilicæ Pisanæ



Bartholom. Santini delin

D. M. Franceschini sculp …

De Sacri Fontis Figura.

CAPUT XV.



PRIMUM Christianæ Religionis Sacramentum est baptismus, quia sine illo re ipsa suscepto neque validus, neque licitus est accessus ad reliqua Sacramenta. Proindeque idem ad salutem januam pandit; quod ipsius salutis auctor Christus Dominus demonstravit, dum dixit Nicodemo, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, ut Joan. cap. 3. num. 5. Hoc etiam idem humani generis Reparator exemplo palam fecit, dum in Jordane flumine à Joanne baptizari voluit, ut ex D. Marc. cap. 1. num. 9. *In diebus illis venit Jesus à Nazaret Galileæ, & baptizatus est à Joanne*. Porrò hujusmodi Sacramentum tam necessarium in Primitiva Ecclesia ubicumque sese offerebat occasio celebrabatur, ut notat Vicecomes de antiqu. baptis. rit. lib. 4. cap. 10. relat. à Casal. de vet. Christ. rit. cap. 5. nam in fluminibus, in fontibus, in mari, domi, aliisque in locis ministrabatur. Crescente dein fidelium multitudine creverunt etiam cum eadem sacrorum rituum, sacrarumque cæremoniarum ordo, & dispositio. Quamobrem singulis in Civitatibus ad hoc Sacramentum per agendum fuerunt deputata loca, quæ, ut plurimum, octagonali formâ constructa erant, ut S. Ambrosii ostendunt carmina relata à Grutero pag. 1166. n. 8. videlicet.

Octachorum sanctos templum surrexit in usus
Octagonus fons est, munere dignus eo,
Hoc numero decuit Sacri Baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit.
Luce resurgentis Christi, qui claustra resolvit
Mortis, & à tumulis suscitat exanimes,
Confessosque reos maculoso crimine solvens
Fontis puri flui diluit in riguo.
Hic quicumque volent probrosę crimina vitæ
Ponere corda lavent, pectora munda gerant.
Huc veniant alacres, quamvis tenebrosus adire
Audeat, abscedat candidior nivibus.
Huc Sancti properent, non expers ullus Aquarū
Sanctus, in his Regnum est, consiliumque Dei
Gloria Justitiæ, nam quid divinius isto?
Ut puncto exiguo culpa cadat populi.

Hanc formam à Pisanis fuisse servatam præsens tabula demonstrat: Duo tamen in hoc Sacro Fonte inter cętera peculiari animadversione digna censentur, nimirum præmemorati 4. ambones, vel puteoli intra Fontem, seu receptaculum existentes; ac Vasculum in fronte ejusdem receptaculi prominens, ubi ad præsens, ut diximus baptismus per aspersionem celebratur.

Siquidem quoad prędictos 4. puteolos aliqui existimarunt illos esse Fonticulos, quibus baptizandi pueri immergebantur; adeoque minimè contingere casus poterat, qui Romæ tempore D. Damasi contigit. Etenim in Sacro Fonte per eundem Sanctum Damasum restituto, dum turbæ sese comprimerent ad Baptismum, puerulus de manu Sacerdotis elapsus fuit, atque in Fonte demersus; sed divinitùs salvus, & illęsus post unius horæ spatium fuit reductus; prout narrat Benedictus Presbyter in vita S. Damasi in Bibl. PP. tom. 27. pag. 67. nempe.

Sabbato Paschalis Festivitatis dum Turbæ sese comprimerent ad Baptismum, puerulus de manu Sacerdotis elapsus est, atque in uno Fonte demersus; & post spatium ferè unius horæ, dum sperarent omnes iam mortuum quidā vir mansionarius ipsius Ecclesiæ in fiduciā Sancti Damasi proiiciens se in Fontem, & abstrahēs eum secum salvum, & illæsū reduxit: Prędictę Sententiæ videtur favere eruditissimus P. Mabilon in suo itinerario Italico pag. mihi 186. ubi de eodem

eodem Pisano Sacro fonte hæc refert: *Prope scilicet Ecclesiam adest Baptisterium in primis insigne, in cuius medio extat Fons Sacer rotundo opere cum multis Fonticulis in petra excisis, in quo forsan baptizandi olim immergebantur*; Nec dissentire videtur idem præmemoratus Ciampinius to.2.de vet. monum. cap. 4. pag. mihi 23. ubi hæc subjungit, nimirum; *inclytæ Pisanæ Metropolis Baptisterium visitur, quod tres supra gradus eminet collocatum, per quos sacri Baptismatis Minister ad Fontem ascendebat; super horum ultimum alter est gradus, qui ad illud minus vas præbet ascensum. Quatuor in circuitu similia cernuntur vasa, in quibus antiquitus pueros tantum baptizatos fuisse autumo; si vero baptizandi adulti essent ob staturæ proceritatem similia vasa eos non capiebant; quare in maius vas eosdem immersos fuisse puto, ut totum ablueretur corpus.* Huic tamen sententiæ, pace horum doctissimorum virorum dixerim, acquiescere minimè ausim; siquidem prædicti 4. puteoli non videntur esse Fonticuli, sed loca ad usum Presbyterorum, ac ministrorum Baptismatis extructa, ut inde iidem commodius baptizandos per immersionem sustinerent; prout etiam indicare videtur pulpitum Fontis Sacri Ecclesiæ Ravennatensis, cujus iconismum à prælaudato Ciampinio dict. tom. 1. vet. mon. pagin. mihi 234. accipies. Antiquitus enim Presbyteri ad baptizandum vestibus mundis, & candidis induti ingrediebantur intro in Fontem, ut demonstrat Romanus Ordo in Bibliot. PP. tom. 10. cap. de Sabb. Sanct. ibi *Masculi in dexteram, fœminæ verò in sinistram deinde Presbyteri induentes se vestibus mundis, & candidis ingrediebantur intro in Fontem*; quod etiam declarat Albin. de div. off. cap. de Sabb. Sanct. & Casal. de vet.Sac. Chris. rit. cap.5. de baptis. pag. mihi 48. Huic meæ opinioni adstipulatur sequens conjectura, dum in eisdem puteolis nullum foraminis vestigium apparet ad expellendam aquam post baptismum ne putresceret. Id etiam suadetur ex quo Presbyter, vel minister baptismatis dificile poterat in gradibus baptismum per immersionem ministrare, cum os, seu labrum ipsius magni vasis in nimiam latitudinem protendatur, ut ex eadem tabula ostenditur; qua de causa clerici etiam hodierno tempore, nempe Sabbato Sancto, iisdem locis utuntur; quippe qui in illa ascendunt, ut inde commodius lagenam, quâ ex eodē magno vase lustralē aquam hauriunt, valeant sustinere. Eidem opinioni arridere videntur supradicta pervetusta verba intrinsecus prope os ipsius magni vasis, seu receptaculi expressa; cum illa nō plures, sed unicum fontē satis clare demonstrent. Quo verò ad Vasculum in fronte ejusdem magni Vasis, seù receptaculi consurgens de se patet illud postmodum fuisse ad Sacrum Baptismum per aspersionem conficiendum extructum.

Dubium inde exortum apud quosdam an Baptismus fieri debeat per immersionem, an verò per aspersionem facile, facilè diluitur. Siquidem humani generis Reparator Christus Dominus Symbolum Sacramenti baptismi, ut diximus, instituit corporis ablutionem per aquam; illa autem fieri potest non solùm immergendo corpus, sed etiam aspergendo, vel affundendo aquam, ut notat Layman. in Theol. mor. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 4. & seq. Unde cum hoc discrimen pertineat ad accidentales ritus Baptismi, iidem pro temporum, & locorum varietate mutantur, ut idemet Layman cum cæteris ab eodē ibidem relatis clarè demonstrat; Olim ordinarium baptizandi ritum fuisse per immersionem patet ex D. Cypriano l.4. Epist.7. ad mag. Eodem verò tempore Baptismus etiam per aspersionem interdum conferri solebat, præsertim

prop-

propter necessitatem; prout elicitur ex eodem D. Cypriano loco nuper expresso, & ex D. Thom. in 3. part. Summar. quæst. 66. art. 8. ubi plures causas exhibet, videlicet, *propter magnam multitudinem baptizandorum, propter aquæ paucitatem; propter debilitatem ministri, qui non possit sustentare baptizandum: propter debilitatem baptizandi cui possit imminere periculum mortis ex immersione.* Hodie tamen ordinarius, saltem in occidentalibus Ecclesiis, baptizandi ritus est per aspersionem, ut notat Joseph Vicecomes lib. 4. cap. 13. & alii relat. à prædicto Casalio de Vet. Sac. Christ. rit. pag. mihi 45. Nam ob teneritatem infantum cum jam rarus esset adultorum baptismus circiter annum 875. levis tinctionis usus incæpit, quamvis etiam in aliquibus occidentalibus Ecclesiis adhuc per immersionem baptismi conferendi consuetudo perseveret, ut refert idem Vicecomes d. lib. 4. c. 13. Quamobrem ex dictis constat ad valorem Baptismi nihil interesse utrum fiat per aquæ effusionem, seu aspersionem, an verò per corporis immersionem.

Diversitas autē Sacri Fontis eodem in loco contigit, ut non quilibet dupliciter baptismate sit lustrādus, sed ad ostēdendum duplicem baptizandi ritum ab Ecclesia Catholica approbatum. Hoc etiā videntur indicare antiquissimæ Icones ex musivo Ecclesiarum S. Joannis in Fonte, ac S. Mariæ in Cosmedin Civitatis Ravennatensis; ubi visitur Imago Sancti Joannis Baptistæ ad Ripam fluminis stantis dexterâ concham, unde in caput Domini in flumine ad umbiliculum usque immersi aqua profunditur. Siquidem nullibi in sacris paginis reperitur expressum Christum Dominum duplici, nempe immersionis, & aspersionis, ritu baptizatum fuisse.

Æneum illud simulacrum D. Joannis Baptistæ in medio magni Fontis ad Orientalem plagam conversi denotat inter cætera quod solemniter baptizandi ad Orientem verterentur. Vetus quippe in Ecclesia fuit observatio, ut baptismate initiandi diabolo prius renunciato, ejusque pompis occidentem versus statuerentur: Sicque positi tertiò illa renunciantium verba proferrent. Iidemque postea Christum Dominum confessuri ad Orientem conversi id totidem vicibus facerent, ut testatur D. Dyonisius Areopag. & Cirillus Hierosol. quos refert Baronius. ann. 58. & ibi Spondanus; & Casal. ubi supra de vet. Sac. Christ. rit. cap. 5. pag. mihi 34.

Ad Sacrum hunc Fontem post Vesperas die Sancto Paschæ, nec non toto ejusdem octavæ tempore singulis diebus Clerus solemni processione sese confert, ac post sequētes versiculos, & resp. nimirum *Crucifixum in carne laudemus. Alleluia, Alleluia, Alleluia. Sepultum propter nos glorificemus. Alleluia &c. Resurgentem de morte venite adoremus, Alleluia &c.* dictâ oratione, dum incedit decantat sequentia carmina, ut ajunt non pauci, Lactantii Firmiani; juxta aliorum tamen, ac probabiliorem sententiam Venantii Fortunati, prout notatur in Bibliot. Max. Vet. SS. PP. Lugd. edit. tom. 3. pag. mihi 672., ac tom. 10. pag. 451. Quod etiam eruimus ex Codice ipsiusmet Venantii in Biblioth. Vatican. existen. sub. num. 552. pag. 167. à terg. ubi eadem carmina paucis immutatis leguntur.

Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.
Duo Cantores

Tempora florigero rutilant distincta sereno,
Et majore Poli limine porta patet.

Altius ignivomum Solem Cœli orbita ducit,
Qui vagus Oceanus intrat, & exit aquas.
Chorus repetit Salve &c.

Armatus radiis elementa liquentia lustrans
Adhuc nocte brevi tendit in orbe dies.

Splen-

Splendida sincerum producunt æthera vultum,
Lætitiamque suam sidera clara probant.
Salve &c.

Rus gaudens vario fundit munuscula cultu,
Cum bene vernales reddit & annus opes.

Mollia purpureum pingunt violaria campum,
Prata virent herbis, & micat herba comis.

Paulatim subeunt stillantia lumina florum
Floribus arrident gramina tincta suis.
Salve &c.

Tempora sub hyemis foliorum crine revulso
Jam reparat viridans frondea tecta nemus.

Mirta Salix, Abies, Corilus, Siler, Ulmus, Acer, Nux
Plaudit quæque suis arbor amena comis.
Salve &c.

Ad cantus revocatur avis, quæ carmine clauso
Pigrior hyberno frigore muta fuit.

Hinc Philomela suis attemperat organa cantis,
Fitque repercusso dulcior aura melo.
Salve &c.

Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omnia cum Domino dona dedisse suo

Namq; triumphanti post tristia tartara Christo
Undique fronde nemus gramina flore favet.
Salve &c.

Legibus inferni oppressis super astra meantem
Laudant rite Deum Lux, polus, arva, fretum

Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia Regnat,
Dantque creatori cuncta creata precem.
Salve &c.

Deinde. *Alleluia. Angelus Domini descendit de Cœlo, & accedens revoluit lapidem, & sedebat super eum, alleluia. Respondens autem Angelus dixit mulieribus quem queritis. Illa autem dixerunt Jesum Nazarenum, alleluia &c.*

Hunc ritum canendi prædicta carmina, ni fallor, desumptum arbitror ex veteri Romano Ordine relato in Biblioth. SS. PP. ædition. Paris. lib. 10. de divin. Cath. Eccl. offic. pag. mihi 85. ubi hæc.

Die Sancto Paschæ induti solemnissimis vestimentis omnes Clerici convenientes ad Stationem ad Sanctam Mariam Majorem primitus cantent Tertiam. Qua finita respersi aqua sancta, quæ pridie collecta est de fonte tam ipsi, quam & omnis populus procedunt cum omni decore, cum Crucibus, & thymiamateriis, præcedentibus etiam Sanctis Evangeliis cantantes antiphonas processionales.

Antiphona ad Processiones.

In die resurrectionis meæ dicit Dominus, alleluja congregabo gentes, & colligam regna, & effundam super vos aquam mundam; Alleluja, Alleluja. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluja: & omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt, & dicent, alleluja, alleluja.

Alia.

Cum Rex gloriæ Christus infernum debellaturus intraret, & Chorus Angelicus ante faciem ejus portas principum tolli preciperet; Sanctorum Populus, qui tenebatur in morte captivus, voce lachrimabili clamaverat: advenisti desiderabilis, quem spectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris. Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta: tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis, alleluja.

Cum versibus istis in laudem S. Pascha.

Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo.
Salve

Nãque tri umphanti post tristia tartara Christo
Undiq ue fronde nemus, gramina flore favet.
Salve
Legi-

Legibus inferni oppressis, super astra meante m
Laudant rite Deum Lux, polus, arva fretũ.
Salve

Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat,
Dantque creatori cuncta creata precem.
Salve

Nobilitas anni, mensum lux alma dierum,
Horarum splendor stridula cuncta favent.
Salve

Christe salus rerum, bone conditor, atq; redẽptor
Unica progenies ex Deitate Patris.
Salve

Funeris exequias pateris vitæ auctor, & Orbis
Intrans mortis iter dando salutis opem.
Salve

Pollicitam sed redde fidem, precor alma potestas:
Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Salve

Solve catenatas inferni carceris umbras,
Et revoca sursum quidquid ad ima ruit.
Salve


Redde tuam faciem, videant & secula Lumen,
Redde diem, qui nos te moriente fugit.
Salve

Eripis innumerum Populum de carcere mortis,
Et sequitur liber, quo suus auctor adit.
Salve

Hinc tumulũ repetẽs post tartara, carne rẽsũpta
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.
Salve

Quibus expletis ingrediuntur Ecclesiam cum Antiphona. *Sedit Angelus ad Sepulcrum Domini stola claritatis coopertus; videntes eum mulieres nimio terrore perterritæ substiterunt à longè. Tunc locutus est Angelus, & dixit eis: Nolite metuere dico vobis, quia ille, quem queritis mortuum, jam vivit, & vita hominum cum eo surrexit, Alleluja.* Vers. *Crucifixum in carne laudate, & sepultum propter nos glorificate, resurgentemque de morte adorate &c.*

De


Tab. 24
Ichnographia Cœmeterij Basilicæ Pisanæ
A
A
10
20
30
Scala cubit Florent: 30
Mensura dimidij brachij, seu cubiti Florentin; et Pisan.
D. M. Franceschini Sculp. sua pen.

DE CÆMETERIO BASILICÆ PISANÆ.

De Situ, ac partibus exterioribus.

CAPUT XVI.

TErtium mirandum ædificium adeamus, Basilicæ nimirum Cæmeterium, Campum Sanctum nuncupatum. Quo quidem Campi Sancti nomine haud immeritò decoratur vel ob Terram Sanctam ibidem existentem; vel ex eo quod in illo Deus, ut inquit, eruditissimus P. Bonannus in Templi Vaticani Hystoria cap. 24. suam sementem ac segetem habeat, quam sub finem Mundi demetet, & in cæleste horreum invehet. Quod etiam innuere videntur verba in externo ejusdem Cæmeterii lapide expressa, videlicet: *Si quis in isto Campo sepultus fuerit; & pænitentiam egerit de commissis vitam possidebit æternam*: Ut autem ejusdem molis magnitudo, situsque clarius cognoscantur illius vestigium seu Ichnographicam tabulam cum mensuris ob oculos subijciemus. Hujus igitur fabricæ latitudo est palm. 160.& ultra.Lõgitudo verò ad palm. 550. extenditur demptis parietibus. Proindeque totum ædificium comprehensis quatuor partibus, nempè, juxta Varronem de lingua lat. lib. 6. sinistra ab Oriente; dextera ab Occasu; antica ad Meridiem; postica ad Septentrionem palm. 1500. & amplius in gyrum excurrit. Opus hoc ad latitudinem, altitudinem, & longitudinem Arcæ Noe nonnulli ferunt extructum. Verùm potius ædificium hoc, inverso tamen columnarum ordine cum intus sit, interiorem partem Templi græce Hypætros nuncupati redolere videtur. Etenim Templum Hypætros, juxta formam à Vitruvio lib. 3. cap. 1. allatam columnis quaquaversum circumdatur à parietibus distantibus, ita ut inter columnas & parietes ambulacrum remaneat; medium verò subdio & sine tecto est. Hujus Cæmeterii facies meridionalis albo ex marmore incrustatur, ac quadraginta quatuor marmoreis parastatis, columnarum forsitan externarum præmemorati Templi Hypætros formam præseferentibus,exornatur. Per duas januas patet aditus: Harum alteri imminet miraculosa Imago D.N.Jesu Christi Cruci affixi ex marmore à supradicto egregio Viro Nicolao Pisano, ut ajunt, exculpta; alteri verò eminet Beatissimæ Virginis puerum amplexantis effigies marmorea in suo marmoreo loculamento à laudato Joanne prædicti Nicolai fratre, ni fallor, elaborata. Hanc prope januam sequentia carmina pervetusto charactere & abbreviatè incisa sunt.

Aspice qui transis, miserabilis inspice quis sis,
Tali namque domo clauditur omnis homo.
Quisquis ades,qui morte cades,sta,perlege,plora,
Sum quod eris, quod es, ipse fui, pro me, precor, ora.



Scenographia Cœmeterii Basilicæ Pisanæ et Ichnographia

De partibus Interioribus Cæmeterii.

CAPUT XVII.

NTUS in medio Cæmeterii reperitur, ut jam exposuimus, amplum atrium subdio, & nullo silice tectum. Ibi terra sancta visitur in tres partes divisa; quam terram ex Orientalibus plagis allatam Pisanorum historia docet. Hujusmodi atrium columnis, seù marmoreis parastatis, quibus incumbunt arcus, quaquaversum cingitur, ita ut in fronte sex supra basim assurgant parastatæ, totidem in adversa parte, in lateribus verò exclusis duabus, quæ Frontibus etiam communes sunt (utpotè in angulis positæ) vigintiseptem utrinque. E pavimento in intercolumniorum spatiis attollitur soccus marmoreus, qui columellas suffulcit marmoreas ornamenta sustinentes decorè, eximieque sculpta; hisque omnibus magnus ac pulcherrimus fenestrarum ordo conficitur, ut ex ipsa Tabula cognosces. Per sex magnas Januas in intercolumniorum spatiis efformatas in idem atrium patet ingressus. Harum altera in medio frontis; altera in parte opposita; reliquæ verò in parte boreali, ac meridiana æqualiter distribuuntur. Inter columnas seu parastatas, & parietes interjacet ambulacrum tam in lateribus, quàm in fronte, ac in adversa parte ejusdem latitudinis, nimirum palm. 42., & Universum ambulacri pavimentum albo ex marmore lineis cæruleis marmoreis distincto elaboratum est. Parietes omnes Picturarum decore illustrantur, de quibus infra in cap. 19. Tectum ferè totum est laminis plumbeis stratum, trabibus, ac tigillis affabre compactum. Sedilia marmorea intus duplici ordine decurrunt in gyrũ, nempe subter earundem fenestrarum ordinem, ac in opposita è diametro parte prope muros depictos. Hoc in loco plurima substructa cernuntur sepulchra; plures illustrium Virorum hęrent parieti tumuli à pręstantissimis opificibus mirifice elaborati; plures etiam, ut annuimus, eodemmet in agro sub dio marmoreę ac vetustissimæ prominent arcę. A sinistris introeuntinm duo cernuntur Oratoria; In fronte assurgit insigne sacellum D. Hieronymo dicatũ ac sumptibus Archiepiscopi Caroli Putei Pedemontani excitatum; ubi in ara visitur tabula D. Hieronymi ab Aurelio Lomio egregio penicillo depicta. Altitudo ædificii, si sumatur usque ad coronidem, est palm. 80. si usque ad culmen tecti, palm. 100. explet. Opus hoc respectu soli à Capitulo Pisano accepti ubi terra Sancta, quam supra memoravimus, locata fuit, inceptum est anno 1200. Archiepiscopo Ubaldo: ut ex vetustissimis monumentis eruitur, Anno verò 1278. juxtà Pisanum stylum, idem terræ spatium marmoreo claustro à prælaudato Joanne Pisano exornatum fuit Archiepiscopo Friderico, prout constat ex sequenti epigraphe in externo lapide sculpta, videlicet

Anno Dñi M. CC. LXXVIII. tempore Domini Friderigi Archiepiscopi Pisani, Domini Tarlatti Potestatis, Operario Orlando Sardella, Joanne Magistro ædificante.

ex altera tamen inscriptione in parastata interiori expressa constat plures fenestras fuisse perforatas anno 1464. Archiepiscopo Philippo de Medicis.

Porrò hujus Cæmeterii elegantia mirabilis; & quidem jure, ac meritò religiosissima Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina Christina Alexandra, cum illud intueretur, nobile musæum appellavit. Nam idem haud tenebricoso horrore perfunditur, sed sole irradiante ubique clarescit. Atrium, & ambulacrum tam quoad amplitudinem, quam quoad lapidum structuram quid Regium ac magnificum continent. Præclaræ huic nobilitati splendorem addunt non exiguum illustria tum Sculpturæ, tum Picturæ, tum Architecturæ monimenta. Admirabilem Architectura plurium sepulchrorum concinnitatem & symmetriam exhibet. Ad stuporem etiam Sculptura in figuris marmoreis ostendit artificium; ex prædictis siquidem vetustissimis arcis Nicolaus & Joannes celeberrimi Pisani Scul-

ptores artis politioris susceptâ methodo, ut notat Vasarius lib. 1. pag. mihi 98., eam in meliorem formam revocarunt. Pictura quoque omnium oculis variâ, pulcherrimâque colorum scena blanditur ac optimis delineationibus sacra Veteris ac Novi Testamenti mysteria eleganti dispositione, demonstrat. Hîc etiam præstantissimi quondam scentiarum Professores, ac Pisani publici Gymnasii clarissima Sydera, videlicet Curtius, Vegius, Decius, aliique complures ex urna sepulchrali exquisitissimas habent lectiones, ad antiquos quippe dies, & annos æternos mente revolvendos omnes erudiunt.

Ædificium hoc plures eruditissimi Viri singulari laudum præconio illustrarunt; quos inter enumerantur præmemorati Ughellius, Troncia & Vasarius; nec non Petrus Vandenbroekius præceptor meus humanissimus in sua Alphea Panegiri inter poemata pag. mihi 45. ita cecinit.

Visne alia hic Patrię monumēta insignia Dive
Nunc incumbe animis, Thusco pulcherrima cultu
Se late attollent fatali tecta quieti
Sacrata, exequiis solis, & lumine cassis
Sacrati campi, sic illos nomine dicent,
Namque humus à Solymis magno calcata Tonanti
Huc placidis ventis, & sacra Classe feretur
Quæ gelidos artus, quæque ossa exanguia condat,
Accipiatque sinu. Sed longe plurima circum
Porticibus latis late apparebit imago
Principio primi magna incunabula mundi
Visere erit, primosque (nefas) cecidisse parentes
Dum miseri ramis inhiant fatalibus ambo
Has etiam Æthereas arces, invisaque nobis
Lurida tecta Erebi, mersosque in tartara manes.
Tum quidquid sacris cecinere oracula libris
Vivida signa canent animoso picta colore.
Mirum opus, & toti solum admirabile Mundo.

De Cœmeterii Sepulchris.

CAPUT XVIII.



DICENDUM modò est aliquid de tumulis in particulari in eodem Cęmeterio existentibus, nam illis ferè undique totus locus affluit. Ex his alia subter pavimentum marmoreum substructa, seu concamerata sunt, & hæc numerum 600. excedunt. Alia eodem in agro prominent, ut sarcophagi & arcæ; & hæc numerum 60. explent. Alia numero inferiora vel è supradicto ambulacri pavimento consurgunt; vel pictis parieribus adhærent. Quod spectat ad primum sepulchrorum genus nil ornamenti speciali notą dignum meo judicio visitur, quam eorundem pars superior, quæ, cum sit ejusdem Cœmeterii pavimentum, è marmore lineis cæruleis, ut exposuimus, distincto, constructa est. Quoad secundum genus, nimirum sarcophagos & arcas plura notanda sunt; nam omnes etsi non ejusdem amplitudinis, peculiari tamē digni sunt animadversione, cum omnes antiquitatem redoleant, ac ex longinquis regionibus huc usque translati sint inter alia opima spolia, manubiasque à victis hostibus reportatas, ut præter cæteros notat idem laudatus Vasarius lib. 1. fol. mihi 79. Ex prædictis sarcophagis nonnulli, ut opinor, fuerunt veterum Christifidelium; siquidem in ipsis Pastoris effigies ovem super humeros gestantis exprimitur, quod Christi Reparatoris nostri hieroglyphicum esse neminem latet; cæteros verò Gentilium extitisse arbitror; in ipsis enim veterum Imperatorum, Dearumque imagines, Leones, Venationes, baccanalia, Fauni cū Nymphis, Hippocentauri, aliaq; hujus generis emblemata sculpta sunt. Ex his illos, qui Leones inter ungulas animal arreptum exhibent virorum fortium extitisse ambigendum non est; Siquidem Leones in symbolum fortitudinis fuerunt expressi; testis est Pausanias in Boeticis, ac tumulis Thebanorum, qui in acie adversus Philippum gloriosè occubuerunt. En ejus verba: Προσιόντων δὲ τῆ πόλει πολυάνδριον Θηβαίων ἐςὶν ἐν τῶ πρὸς Φίλιππον ἀγῶνι ἀποθανόντων· ὐκ επιγέγραπται μὲν δὴ επίγραμμα, επίσημα δ' επεςὶν αὐτῷ λέων.

Proximo Urbi loco comune est Sepulchrum Thebanorum, qui in pugna contra Philippum defuncti sunt inscriptio nulla quidem inscripta est. Insigne verò tumuli Leo. Elegantem etiam Romæ sarcophagum inspeximus in Villa Excellentissimi Ducis Matthæii, ubi duo Leones sarcophagum ipsum sustinent, cujus iconismum refert Sponius in suis miscellan. eruditæ antiquitatis sect. 2. art. 9.

Alios autem sarcophagos, qui supra operculum Virum, & fœminam brachiis innixos exhibent veterum Romanorum fuisse autumo. Virum enim, & Fęminam arbitror Alexandri Severi Imperatoris, & Juliæ Mameæ matris effigiem præseferre. His haud absimile Romæ visitur exemplar in atrio Capitolii lateris introeuntium dextri, ubi hæc verba expressa sunt

S. P. Q. R.

Monumenta sepulchralia Alexandri Severi Imperatoris, & Juliæ Mameæ matris; Sabinarum etiam raptum ob pacem de novo initam marmore insculpta, ornataque in agro Fabritii Lazari extra portam Labienam reperta in Capitolium poni jussit.

Veterum quoque Romanorum fuisse illas urnas existimo in exteriori parte exhibētes opere anaglypto hieroglyphicum Concordiæ ab eisdem Romanis cultæ, videlicet imagines duas dexteram dexteræ jungentes, cujus iconem affert Lilius Gyrald. hist. Deor. col. mih. 33. Eorundem etiā Romanorum arcas illas esse autumo, ubi nonnullæ Virorum & Fœminarum figuræ conspiciuntur dexterâ complicatum volumen retinentes; quod non senatoriæ solum & consularis dignitatis; verum etiam alterius dignitatis indicium est; licèt non pauci volumen hoc Christifidelium signum esse existiment, ut ex aliquibus numismatum monimentis ostenditur, ubi Arcadius, & Honorius Imperatoris Theodosii filii dexterâ complicatum volumen detinent. Ac veteres Christiani, ut refert

præmemoratus Ciampinius d. lib. 1. vet. mor. c. 16. tam pretiosum, carum ac venerabile Evangelium duxere, ut vel pendulum collo, vel pectori impositum cunctis diebus vitæ suæ gestarint; ita habetur ex D. Jo. Chrysostomo in Mathæum hom. 3. & ex actis S. Cæciliæ, nec non ex D. Hieronymo in cap. 23. Math. Quia & post funera vivebat amor tam sacri pignoris, quare & cum eo thecis argenteis, æneisque, aut plumbeis pro facultate cujusque obsignato sepulchris mandari jubebant, quod plurima cadavera, seu loculi confirmant in pervetustæ Basilicæ Vaticanæ demolitione cum iis reperta. Ipsorum etiam Romanorum arbitror extitisse Sarcophagos illos, in quibus visuntur sequentes inscriptiones, nimirum:

T. CAMVREN.
MYRONIS

D. M.
T. AELIVS. AVG.
LIB. LVCIFER.
VIBVS. SIBI
POS. II. T.

D. M.
I. IVLIVS LARCIVS
SABINVS IRIBE BOVIVI.
XII. ANNIS. XXVII. DIB.

. . . .

Veterum verò Græcorum arcas illas esse suspicor, ubi opere semianaglypto in exteriori parte exprimuntur varia Monstra marina Nymphas in fluminibus gestantia, citharâ, tibiisque canentia. Siquidem eorundem Græcorum insania mortuorum animas, quas Nephes appellant Hebręi (quod idem sonat ac nomen Nimphæ) in locis antea sibi benevisis ac deliciis affluentibus morari putabant, ut notat Morerius in suo Dict. Gall. sub. lit. N. in fin.

Eorundem quoque Gręcorum urnas extitisse puto, ubi visuntur eodem opere anaglypto Bacchanalia, Fauni, Hippocentauri & alia hujus generis animalia, de quibus an extiterint Vid. Balthassarem Bonifacium Rodiginum in sua Hist. ludicr. lib. 7. cap. 16. ac Natalem Comitem lib. 7. cap. 4. Similiter & illas Græcorum esse haud ambigendum, ubi cernuntur venationes, inter quas visitur illa Meleagri una cum Græciæ juventute aprum Calidonium insectante, de qua Ovid. lib. 8. Metamorphos.

Quo verò ad tertium sepulchrorum genus, cum ex his alia sint sublimiora, alia inferiora; ut citius me expediam nonnulla seligam, ac illa breviter percurram. Quamobrem prope Regiam Januam sese offert sepulchrum Servi Dei de Pace Pisani, ut ex sequenti inscriptione eruitur.

D. O. M.

Nobile Joannis gaudet de Pace Sepulchrum
Quod cernis lector spiritus alta tenet.
Hunc inter Silvas claris natalibus ortum
Degentem casto pellit amore Deus.
Delubra ut Pisis tenui Betsaide creto
Conderet, at Triadi templa sacrata prius.

In fronte Cœmeterii supra mutulum prominet Bartholomæi Chesii Pisani effigies in marmore ad vivum expressa. Hic in Patrio Licæo maximus legum fuit interpres, ut ex ejusdem edito volumine non obscure liquet; Nec Religionis ac Pietatis minimus cultor extitit, dum omnes suorum laborum fructus in pauperes Virgines, vulgò nuncupatas *della Carità*, liberaliter distribuit, quæ grati animi ergo sequens monimentum posuere.

D. O. M.

Bartholomæi Chesii in Patrio Pisano Licęo maximi legum Interpretis imaginem hoc marmore expressam Charitatis Domus hæres ex asse, ejusque sex viri posteritati, & gloriæ posuerunt, obiit an. sal. M. DCLXXX. ætatis suæ LXXV.

Non procul assurgit marmoreum ac pulcherrimum Matthæi Curtii Ticinensis Sepulchrum, cujus marmorei ornamenti iconem ex Tabul. 26., altitudinem verò palm. fere 50. ex Tabul. 25. cognosces. Opus hoc elegans à celebri Sculptore Antonio Laurentio de Settignano elaboratum fuit, ut notat Vasar. par. 3. pag. mihi 289. delineatum verò à laudato Viro Nicolao Tribolo Florentino. In eo prominet urna cum

cum duobus hinc, atque hinc ollis cinerariis, vel potius lucernis. In medio Urnæ lapide obductæ visitur elegantissimum ipsius Curtii simulacrum brachio sinistro innixi, manu dextera clauso libro superimposita. Ibidem etiam sequens inscriptio insculpta legitur:

D. O. M.

Math. Curtio Ticin. qui Hipp. Galenique vindex salutis augurium egit, medicinamque exercendo, & docendo ipse valens semper excoluit mon. hoc amplius, quam filii T. P. I. Cosmus Med. Flor. Dux. II. ære suo P. G. M. D. XLIIII. vix. an. LXX.

Sequitur Cenotaphium cum simulacro celeberrimi Viri Juliani Viviani Pisani olim hujus Basilicæ Decani, ac in Patrio Gymnasio Sacrorum Canonum Professoris, postmodum Insulæ Urbis Antistitis, ac demum Cosentini Archiepiscopatus infulis decorati; Inscriptio est ita.

D. O. M.

Juliano Viviano Antonii filio doctissimo Juris utriusque Professoris, qui Pisanum Gymnasium doctrinæ præstantia, Patriam, & genus nominis claritate jus Pontificium immortalibus ingenii monumentis illustravit; qui amplissimos in Patria honores adeptus ampliores meritus ad exteros quoque lumen glorię suæ diffudit, & Urbano VIII. Pont. Max. ob integritatem vitæ, morumque candorem acceptissimus Insulæ Urbis Antistes, & Comes ac deinde Cosentinus Archiepiscopus creatus est, majora consequturus, nisi morte fuisset in medio honorum cursu interceptus; Hanc corporis imaginem, cum animi extet in libris, & memoria posterum Cosmus Vivianus fratris filius posuit ann. salut. M. D. C. IIIC.

In proximo Sacello visitur sepulchralis lapis Caroli Antonii Putei hujus Primatialis Basilicæ Archiepiscopi cum hâc inscriptione.

D. O. M.

Carolus Antonius Puteus
Francisci Comitis Ponderani filius
Archiepiscopus Pisanus &c.
Diem Mortis
Et Universalis Resurrectionis cogitans
Locum hunc vivens sibi statuit
Pro cadavere suo reponendo
Quando Divinæ Clementiæ visum fuerit ipsum ab hoc sæculo nequam eripere anno Domini M. DC.

Deinde attollitur nobilissimum marmoreum sepulchrum præstantissimi Jurisconsulti Joannis Boncompagni san. mem. Gregorii XIII. Summi Pontificis fratris Patruelis ab egregio artifice Stagio affabrè exculptum. Hoc non solum amplitudine, sed etiam variegati marmoris nitore cætera monimenta antecellit. In ejus medio Charitatis; hinc inde Fidei, ac Spei simulacra consurgunt; E plano supra soccum elegans prominet Urna sequenti inscriptione subter expressâ. Exemplar reperies in præc. Tabula 26. sub fig. 2. mensuram verò ex Tabul. 25. accipies.

D. O. M.

Gregorius XIII. Pont. Max. Patria Bonon. pręstantissimo Jurisconsulto Joanni Boncompagno fratri patrueli probatissimis moribus eximia pietate, omnibus denique animi dotibus ornatissimo Pisis dum in primo loco maxima celebritate jus interpretaretur anno ætatis suæ XLI. sal. hum. M. D. XLIIII. extinct. Hoc ad restituendam jucundissimæ agnationis memoriam fieri mandavit anno salutis M. D. LXXIIII. Pont. sui III.

Proxime occurrit elegans celeberrimi Decii Mediolanensis sepulchralis urna ab eodē insigni sculptore Stagio artificiosè albo ex marmore elaborata; cujus exemplar in supradicta Tabula 26. fig. 3. exhibuimus: Supra eandem Urnam visitur ejusdem Decii simulacrum jacens manu sinistra caput, dexterâ verò reseratum codicem sustinens. Idem Decius de morte cogitans sepulchrum hoc, *ne posteris suis crederet*, sibi confi-

conficiendum curavit, prout in ibidem posito lapide expressum cernitur, videlicet:

D. O. M.

Philippus Decius, sive de Dexio Mediolanensis Jurisconsultus celebri fama notissimus, cum primum locum studii in jure Canonico, vel Civili tenuisset Pisis, Senis, Florentiæ, Papiæ, & demum ultramontes in Gallia revocatus in Italiam ab excelsa Florentinorum Republica posteaquam stipendium mille quingentorum aureorum in auro pro lectura consequtus fuisset de morte cogitans hoc Sepulchrum sibi fabricari curavit ne posteris suis crederet.

Præmemoratum sepulchrum reseratum fuit tempore Archiepiscopi Francisci ex Com. Ilcii; ac plures viri necessitudine mihi conjunctissimi, qui tunc temporis interfuerunt, se vidisse ajunt corpus ejusdem Decii, ac in ipsius capite biretum ex holoserico villoso rubeo

In parte Boreali in Sacello cernitur elegans sepulchrum præstantissimi viri........ ......de Ammannatis Pisani à supramemorato, ut ajunt, Joanne Pisano exculptum; ubi etiam opere semianaglypto visuntur discipuli, ac Magister in cathedra sedens in actu docentis.

In parte inferiori seu Occidentali cæmeterii supra soccum prominet elegantissimũ sepulchrum doctissimi Jo. Francisci Vegii Patritii Ticinensis, & Jurisconsulti clarissimi. Hujus ornamẽta marmorea pal.50.explent, quorum exemplar pro dimidio cernes in d. Tabula 25. ex qua etiam mensuram accipies. Ibidem supra urnam socco incumbentem extollitur Pyramis, ubi ejusdem Vegii effigies inspicitur à prędicto Tribolo una cum cæteris ornamentis pereleganter insculpta. Subter hæc sequens inscriptio in marmore legitur:

D. O. M.

Jo: Francisco Vegio Patritio Ticinensi Jurisconsulto clarissimo, qui ab optimo Duce Cosmo magnis præmiis decoratus per 12. annos Pisis Princeps in docendo fuit August. F. mær. P. A.M. D. LIIII. vix. an. LXV.

In parte quæ ad Meridiem tendit inspicitur sepulchrale monumentum præstantissimi Viri Paganini Gaudentii Pesclaviensis Philosophi, Theologi, & Jurisconsulti, prout ex sequenti inscriptione liquet.

D. O. M.

Paganino Gaudentio Pesclaviensi incliti nominis Philosopho. Theologo. I.V. Cons. probitate naturali, ingenuitate, studio, Reipub. prædito ad exemplum; humanioribus verò literis, & politice ad invidiam quas in Pisano Gymnasio per annos XXI. *professus exteros multos ad se vocante fama pertractos præsenti eruditione obruit posteros edito multiplici volumine locupletavit, editurus plura, si dies adfuisset, qui de re quacumque consultus indeficientem pandebat ex tempore dissertationis doctissimæ veram de se tantum parcus sic habens fato propinquus, & quasi præscius.*

Rhetia me genuit, docuit Germania, Roma Detinuit, nunc audit Etruria culta docentem.

Obiit Pisis impavidus an. D.CIↃ.IↃ.C.IL. tertio Non. Jan. natus annos LIII. Bartholomæus Chesius Pis. I.C. & in Pis. Gymnasio I. Civ. Ord. professor executor testamentarius tantam literarum jacturam deplorans. P.

Haud longe visitur sepulchralis inscriptio eruditissimi Viri Petri Angeli Bargei, cujus tenor ita est.

D. O. M.

Petro Angelio Bargeo in Pis. Gymnasio per quamplures annos interpr. eruditiss. Poetæ Oratorique celeber. à Ferdinando Med. Magn. Duce Etrur. III. Patrono Munificentiss. inter suos familiares cooptato opibus, & honoribus aucto Virginia F. mæstiss. memoriæ, & pietatis ergo P. vixit annos LXXIIX. mens. 10. obiit prid. Kal. Mart. CIↃ.IↃ.XCVI.

De-

Demum eodem in agro assurgit vetustissima urna doctissi mi Viri Joannis Faseoli. Hanc ex illis Gentilium extitisse autumo, cum in facie ejusdem opere anaglypto Meleagri venatio, licet ævi diuturnitate non parum corrosa, exprimatur. Operimentum tamen est Christianorum, nam ibidem opere semianaglypto prominet cathedra, ubi sedet Magister; subter plures discipuli audientes conspiciuntur.

Verùm, antequam ad alia progrediamur, obiter notanda sunt duo vetustissima Pisanæ Civitatis monimenta parieti infixa; quorum icones dissertationibus illustratas edidit præmemoratus Em. Norisius sub præcit. tit. *Cenotaphia Pisana.* Ex his alterum est Cenotaphium Lucii Cæsaris Augusti F., & ita habet.

XIII. K. OCTOBR. PISIS. IN.
FORO. IN. AVGVSTEO.
SCRIB. ADFVER Q. PE-
TILIVS. Q. F. P. RASINIVS.
L. F. BASSVS. M. PVPPIVS.
M. F. Q. SERTORIVS. Q. F.
PICA. CN. OCTAVIVS. CN.
F. RVFVS. A. ALBIVS A. F.
GVTTA

QVOD. C. CANIVS. C. F. SATVR-
NINVS. IIVIR. V. F. DE. AV-
GENDIS. HONORIBVS. L. CAE-
SARIS. AVGVSTI. CAESARIS.
PATRIS. PATRIAE. PONTIFI-
CIS. MAXSVMI. TRIBVNICIAE
POTESTATIS. XXV. FILI. AV-
GVRIS. CONSVLIS. DESIGNA-
TI. PRINCIPIS. IVVENTVTIS.
PATRONI. COLONIAE. NO-
STRAE. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.
CVM. SENATVS. POPVLI. RO-
MANI. INTER. CETEROS. PLV-
RIMOS. AC. MAXSIMOS. HONO-
RES. L. CAESARIS. AVGVSTI.
CAESARIS. PATRIS. PATRIAE.
PONTIFICIS. MAXIMI. TRIBV.
NICIAE. POTESTATIS. XXV.
FILIO. AVGVRI. CONSVLI.
DESIGNATO. PER. CONSE-
SVM. OMNIVM. ORDINVM.

TETVR. DATA. CVRA. C. CA-
NIO. SATVRNINO. IIVIRO. ET.
DECEM. PRIMIS. ELIGENDI.
ASPICIENDIQVE. VTER. EO-
RVM. LOCVS. MAGIS. IDO-
NEVS. VIDEATVR. EMENDVS.
PVBLICA. PVCVNIA. A. PRI-
VATIS. EIVS. LOCI. QVEM.
MAGIS. PROBAVERINT. VTI-
QVE. APVD. EAM. ARAM.
QVOD. ANNIS. A. D. XII. K. SEPT.
PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER
MAGISTRATVS. EOSQVE. QVI.
IBI. IVRI. DICENDO. PRAE-
RVNT. TOGIS. PVLLIS. AMI-
CTOS. QVIBVS. EORVM. IVS.
FASQVE. ERIT. EO. DIE. EIVS.
VESTIS. HABENDAE. INFE-
RIAE. MITTANTVR. BOSQVE.
ET. OVIS. ATRI. INFVLIS. CAE-
RVLEIS. INFVLATI. DIIS. MA-
NIBVS. EIVS. MACTENTVR.
EAEQVE. HOSTIAE. EO. LOCO.
ADOLEANTVR. SVPER. QVE-
EAS. SINGVLAE. VRNAE. LA-
CTIS. MELLIS. OLEI. FVNDAN-
TVR. AC. TVM. DEMVM. FA-
CTAM. CETERIS. POTESTA-
TEM. SI. QVI. PRIVATIM. VE-
LINT. MANIBVS. EIVS. INFE.
RIAS. MITTERE. NIVE. QVIS.
AMPLIVS. VNO. CEREO. VNA-
VE. FACE. CORONAVE. MIT-
TAT. DVM. II. QVI. IMMOLA-
VERINT. CINCTI. CABINO.
RITV. STRVEM. LIGNORVM.
SVCCENDANT. ADQVE. EX-
INDE. HABEANT.
VTI. LOCVS. ANTE. EAM. ARAM.
QVO. EA. STRVES. CONGE-
RANTVR. COMPONANTVR.
PATEAT. QVOQVE. VERSVS.

PE-

PEDES . XL. STIPITIBVSQVE . ROBVSTIS . SAEPIATVR . LIGNORVMQVE . ACERVOS . EIVS . REI . GRATIA . QVOD. ANNIS. IBI. CONSTITVATVR. CIPPOQVE. GRANDI . SECVNDVM. ARAM. DEFIXSO. HOC. DECRETVM. CVM. SVPERIORIBVS. DECRETIS. AD. EIVS. HONORES. PERTINENTIBVS. INCIDATVR. INSCVLPATVRVE. NAM. QVOD . AD . CETERA . SOLEMNIA . QVAE . EODEM. ILLO. DIE. VITARE. CAVERIQVE . PLACVISSENT . PLACERENT . QVE . ID . SEQVENDVM. QVOD . DE. IIS. SENATVS. P. R. CENSVISSET. VTIQVE. PRIMO. QVOQVE. TEMPORE. LEGATI. EX. NOSTRO. ORDINE . IMPER. CAESARE. AVGVSTVM . PATREM . PATRIAE. PONTIFICEM. MAXIMVM. TRIBVNICIAE . POTESTATIS . XXV. ADEANT . PETANTQVE. AB. EO . VTI . COLONIS . IVLIENSIBVS . COLONIAE. OPSEQVENTI . IVLIAE. PISANAE. EX. HOC. DECRETO. EA . OMIA. FACERE. EXSEQVIQVE. PERMITTAT.

Alterum verò est Cenotaphium Caii Cæsaris Augusti F. hujus tenoris.

Desunt dies ac mensis. PISIS . IN . FORO . IN. AVGVSTEO . SCRIB. AD

FVER . Q. SERTORIVS . Q. F. ATILIVS. TACITVS . P. RASINIVS . L. F. BASSVS. L. LAPPIVS. P. F. THALLVS . Q. SERTORIVS . Q. F. ALPIVS . PICA . C. VETTIVS. L. F. VIRCVLA . M. HERIVS . M. F. PRISCVS . A. ALBIVS . A. F. GVTTA . TI. PETRONIVS . TI . F. POLLIO . L. FABIVS . L. F. BASSVS . SEX . APONIVS . SEX . F. CRETICVS . C. CANIVS . C. F. SATVRNINVS . L. OTACILIVS . Q. F. PANTHERA.

QVOD. ADSVNT . CVM . IN . COLONIA . NOSTRA . PROPTER . CONTENTIONES . CANDIDATORVM . MAGISTRATVS . NON . ESSENT . ET . EA . ACTA . ESSENT . QVAE . INFRA . SCRIPTA . SVNT.

CVM . AD . IIII. NONAS . APRILES . ALLATVS . ESSET . NVNTIVS . CAIVM . CAESAREM . AVGVSTI. PATRIS. PATRIAE. PONTIF. MAXSVMI. CVSTODIS . IMPERI . ROMANI . TOTIVSQVE . ORBIS . TERRARVM. PRAESIDIS. FILIVM. DIVI. NEPOTEM . POST . CONSVLATVM . QVEM . VLTRA . FINIS . EXTREMAS . POPVLI . ROMANI . BELLVM. GERENS. FELICITER . PEREGERAT . BENE . GESTA . RE . PVBLICA. DEVICTEIS . AVT. INFIDEM . RECEPTIS . BELLICOSISSIMIS . AC . MAXSIMIS . GENTIBVS . IPSVM . VOLNERIBVS . PRO . REPVBLICA . EXCEPTIS . EX . EO . CASV . CRVDELIBVS . FATIS . EREPTVM . POPVLO . ROMANO . IAM . DESIGNATVM. IVSTISSIMVM . AC . SIMILLVMVM . PARENTIS . SVI . VIRTVTIBVS . PRINCIPEM . COLONIAEQVE . NOSTRAE . VNICVM . PRAESIDIVM . EAQVE . RES. NON . DVM . QVIETO . LVCTV . QVEM. EX . DECESSV. L. CAESARIS. FRATRIS. EIVS . CONSVLIS . DESIGNATI . AVGVRIS . PRONI . NOSTRI . PRINCIPIS . IVVENTVTIS. COLONIA. VNIVERSA. SVSCEPERAT . RENOVASSET . MVLTIPLICASSETQVE . MOERORUM . OMNIVM . SINGVLORVM . VNIVERSORVMQVE . OB . EAS . RES . VNIVERSI. DECVRIONES . COLONIQVE . QVANDO . EO . CASV. IN . COLONIA . NEQVE. IIVIR . NEQVE . PRAEFECTI . ERANT . NEQVE . QVISQVAM. IVRE. DICVNDO. PRAERAT . INTER . SESE . CONSENSERVNT. PRO . MAGNITVDINE . TANTAE . AC . TAM . INPROVISAE . CALAMITATIS . OPORTERE . EX . EA . DIE . QVA . EIVS . DECESVS . NVNTIATVS . ESSET . VSQVI . AD . EAM . DIEM . QVA. OSSA . RELATA . ATQVE . CONDITA . IVSTAQVE . EIVS . MANIBVS . PERFECTA . ESSENT . CVNCTOS . VESTE . MVTATA . TEMPLISQVE . DEORVM . IMMORTALIVM . BALNEISQVE . PVBLICIS . ET . TABERNIS . OMNIBVS . CLAVIS . CONVICTIBVS . SESE . APSTINERE . MATRONAS . QVAE . IN . COLONIA . NOSTRA . SVNT. SVBLVGERE. DIEMQVE . EVM . QVO . DIE . C. CAESAR . OBIT . QVI . DIES . EST . A. D. VIIII. K. MARTIAS . PRO . ALLIENSI . LVGVBREM . MEMORIAE . PRODI . NOTARIQVE . IN . PRAESENTIA . OMNIVM . IVSSV . AC . VOLVNTATE . CAVERIQVE.

QVE.

QVE . NE . QVOD . SACRIFICIVM . PVBLICVM . NEVE. QVAE. SVPPLICATIONES . NIVE . SPONSALIA . NIVE . CONVIVIA . PVBLICA . POSTEA . IN . EVM . DIEM . EOVE . DIE . QVI . DIES . ERIT . A. D. VIIII. K. MART. FIANT . CONCIPIANTVR . INDICANTVRVE . NIVE . QVI . LVDI. SCAENICI. CIRCIENSESVE. EO . DIE . FIANT . SPECTENTVRVE. VTIQVE . EO . DIE . QVOD . ANNIS . PVBLICE . MANIBVS . EIVS . PER. MAGISTRATVS . EOSVE . QVI . PISIS . IVRE . DICVNDO . PRAERVNT . EODEM. LOCO. EODEMQVE. MODO. QVO. L. CAESARI.PARENTARI. INSTITVTVM. EST. PARENTETVR.

VTIQVE . ARCVS . CELEBERRIMO . COLONIAE . NOSTRAE . LOCO . CONSTITVATVR . ORNATVS . SPOLEIS . DEVICTARVM . AVT . IN . FIDEM . RECEPTARVM . AB . EO . GENTIVM . SVPER . EVM . STATVA . PEDESTRIS . IPSIVS . TRIVMPHALI . ORNATV . CIRCAQVE . EAM . DVAE . EQVESTRES . INAVRATAE . CAI . ET . LVCI . CAESARVM . STATVAE . PONANTVR .

VTIQVE . CVM . PRIMVM . PER . LEGEM. COLONIAE . DVO . VIROS . CREARE . ET . HABERE . POTVERIMVS . II . DVO. VIRI . QVI . PRIMI . CREATI . ERVNT . HOC . QVOD . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSIS . COLONIS . PLACVIT . AD . DECVRIONES . REFERANT . EORVM. PVBLICA. AVCTORITATE. ADHIBITA. LEGITVME . ID . CAVEATVR. AVCTORIBVSQVE . IIS . IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERATVR. INTEREA . T. STATVLENVS . IVNCVS . FLAMEN . AVGVSTALIS . PONTIF. MINOR . PVBLICORVM. P. R. SACRORVM. ROGARETVR. VT . CVM . LEGATIS . EXCVSATA . PRAESENTI. COLONIAE . NECESSITATE . HOC . OFFICIVM . PVBLICVM . ET . VOLVNTATEM . VNIVERSORVM . LIBELLO . REDDITO . IMP. CAESARI. AVGVSTO . PATRI . PATRIAE . PONTIF. MAXSIMO . TRIBVNICIAE . POTEST . XXVI. INDICET .

IDQVE . T. STATVLENVS. IVNCVS.PRINCEPS . COLONIAE . NOSTRAE . FLAMEN . AVGVST. PONTIF. NINOR. PVBLICORVM . P. R. SACRORVM . LIBELLO . ITA . VTI . SVPRA . SCRIPTVM. EST . IMPERATORI . CAESARI . AVGVSTO . PONTIFICI . MAXIMO . TRIBVN. POTEST. XXVI. PATRI. PATRIAE. REDDITO.FECERIT. PLACERE. COPSCRIPTIS . QVAE . AD . IIII. NONAS. APRILES. QVAE . SEX . AELIO. CATO. C. SENTIO. SATVRNINO . COS. FVERVNT. FACTA. ACTA . CONSTITVTA . SVNT . PER. CONSENSVM . OMNIVM . ORDINVM . EA . OMNIA . ITA . FIERI . AGI . HABERI . OPSERVARIQVE . AB . L. TITIO . A. F. ET . T. ALLIO . T. F. RVFO . IIVIRIS. ET . AB . EIS . QVICVMQVE . POSTEA . IN . COLONIA . NOSTRA. IIVIR . PRAEFECTI . SIVE . QVI . ALI . MAGISTRATVS . ERVNT . OMNIA . IN . PERPETVOM . ITA . FIERI . AGI. HABERI. OBSERVARIQVE . VTIQVE . L. TITIVS . A. F. T. ALLIVS. T.F. RVFVS. IIVIRI. EA. OMNIA.QVAE. SVPRASCRIPTA. SVNT. EX. DECRETO.NOSTRO.CORAM.PRO. QVAESTORIBVS. PRIMO . QVOQVE. TEMPORE.PER. SCRIBAM. PVBLICVM. IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERENDA . CVRENT.

CENSVERE.

Nec silentio prætereunda est pars columnæ miliariæ in medio prædictarum tabularum prominens. Hæc prope viam Æmiliam ad Pisanum mare vergentem in loco vulgò nuncupato *Rimazzano* reperta fuit; ac in ea sequentia verba sculpta sunt

CÆS. I. AEL.


ADRIANVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. M. TR. P. VI. COS. III. IMP. II. PP. VIAM ÆMILIAM. VETVSTATE . DILAPSAM . OPER. AMPLIATIS . RESTITVENDAM . CVR. A. ROMA. M. P. CLXXXVIII.


Hoc est

CAESAR IMPERATOR AELIVS ADRIANVS . ANTONINVS . AVGVSTVS. PIVS. PONTIFEX. MAXIMVS . TRIBVNITIA . POTESTATE . VI. CONSVL. III. IMPERATOR. II. PATER . PATRIÆ. VIAM . ÆMILIAM . VETVSTATE. DILAPSAM. OPERIBVS. AMPLIATIS. RESTITVENDAM.CVRAVIT . A . ROMA . MILLIA. PASSVVM . CLXXXVIII.

De similibus titulis luculenter ac eruditè scripserunt laudatus Paulus Pedrusius to. 1. & 2. Cæsar. & Joan. Rosinus Antiq. Rom.

Tab. 26





Scenographia Figurarum Capitis, et Borealis Lateris Cœmeterij Basilicæ Pisanæ

Ioseph, et Francis. fr.es Milani delin. Pisis

Petrus Von Sickeleers sculp. …

De Cœmeterii Picturis.

CAPUT XIX.

GIMUS supra de tumulis, & sepulchris in particulari, restat modo de Picturis aliquid differere, cum illis, ut annuimus, omnes ejusdem Cœmeterii parietes insigniti conspiciantur. Ut autem Sacræ Historiæ ibidem expressæ genuinum ordinem sequamur nulla temporis Artificum habita ratione à primo Mundi exordio initium sumemus. Latus itaque ad Boream ingredientis primo sese offert aspectui pręgrandis Æterni Patris effigies, qui brachiis extensis Angelorum Hierarchias, Cœlorum orbes, Elementa, omnemque Terræ molem ostendit. Hanc Tabulam unà cum D. Augustini, ac D. Thomæ Aquinatis imaginibus in inferioribus angulis expressis Bonamicus Busalmacchus Florentinus perelegante rdelineavit, & hos sequentes versus ad majorem invisibilis Dei notitiam idem, ut opinor, subter apposuit:

Voi che avisate questa Dipintura
Di Dio pietoso Sommo Creatore
Lo qual fè tutte cose con amore
Pesate, numerate, & in misura.
In nove gradi Angelica natura
Inello Empirio Ciel pien di splendore
Colui che non si muove, ed è Motore
Ciascuna cosa fece buona, e pura.
Levate gl'occhi del vostro intelletto
Considerate quanto è ordinato
Lo Mondo universale, e con affetto.
Lodate lui che l'hà sì ben creato
Pensate di passare à tal diletto
Trà gl'Angeli dov'è ciascun beato.

Deindè occurrit tabula, ubi Deus ex informi creata materia creaturarum species distinguit, ad quarum usum hominem creat, cunctaque illi creata subiicit, ut in Genes. cap. 1.

Sequitur & altera rabula, ubi Deus hominem in Paradisum variis arboribus, & fluminibus insignitum transfert, cui Evam ex ipsius costa in adjutorium format, ut ex Cap. Gen. 2.

In eadem Tabula indicatur quando Serpentis astu seducti parentes, dum Dei præcepta contemnunt, indicta singulis pœna è Paradiso pelluntur, ut in capitul. 3. Genes.

In sequenti visuntur Sacrificia Caim & Abel, quorum primum à Deo reprobatur, secundum verò Abel excipitur, ut ex Genes. cap. 4. ac ibidem sequentia verba cernuntur. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Caim verò, & ad munera ejus non respexit.* Hîc ex uno latere exhibetur Abel à fratre occisus; ibidemque, fortasse ut magis exprimeretur illud ejusdem Geneseos, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; cernitur sanguis ad Cœlum usque ascendens cum effigie ipsius Abel in actu deprecantis. Hanc, & suprarelatas Tabulas accurato penicillo idem Busalmacchus, efformavit.

In Tabula seu quadrato proximo habetur, quando diluvii causam hominis peccata dederunt, & Arca salutis fabricanda à Domino mandatur, ut in Gen. cap. 5. Hanc Tabulam cum sequentibus usque ad illam Reginæ Sabæ in fine hujus lateris egregiis coloribus Benozzius Gozzoli Florentinus ad vivum expressit, ut notat Vasarius part. 2. pagina mihi 307. Iconem verò supra duo Oratoria nimirum illa, ubi cernitur Regum Magorum adoratio, & altera, ubi exprimitur Deiparæ Virginis Incoronatio, ni fallor, à Taddeo Bartholo artificiose delineatæ sunt.

Indè sequitur quum recedentibus aquis diluvii à facie terræ Arca Domini post corvi, & Columbæ emissionem omnia contenta ejicit; Noe verò ara extructa Deum holocausto placat. Gen. cap. 8.

In initio ordinis seu lineæ inferioris ostenditur Noe propè vineam ebrium, ac nudum jacentem Cham filius ridens, undè Cham maledicitur; Sem verò, & Japhet fratres, ex quo illum cooperuerint,

benedictione replentur, prout in cap. 9. & 10. Genes.

In alia Tabula exprimitur Turris Babel ædificatio, ubi superborum fastus, & lingua confunditur, ut in Gen. cap. 11.

In sequenti exhibetur quando Abram, & Lot Ægyptum ingressi præ nimia opulentia separantur Gen. cap. 13.

In Superiori tabula visitur bellum, ubi quatuor aperto marte quinque vicerunt Reges, cum reliquis in cap. 14. Genes. relatis.

In proxima Deus Abrahæ de posteritate desperanti filium promittit, cui credens Abram justificatur, & in signum promissę Terræ offert Domino sacrificium, ut Genes. cap. 15.

Deinde sequitur quando Agar ancilla Sarai Dominæ permissu se ex Abram concepisse videns Dominam contempsit, undè ab illa afflicta fugere coacta est, sed jussu Angeli Dominæ submissa postmodum Ismaelem peperit, ut ex cap. Gen. 16. & 17.

In altera icone designatur Abram quum tres Angelos excepit hospitio filium eidem de Sara promittentes, ut Gen. cap. 18. Tabula verò Superior Sodomæ incendium, & uxorem Lot in Statuam Salis conversam non rudi arte demonstrat, ut ex Gen. cap. 19.

Alter, qui subiicitur iconismus ejusdem Abrahæ gesta continuat; ibi natus Isaac ablactatur; Ismael verò cum matre domo pellitur in desertis victurus, ut Gen. cap. 21. Item Abraham Dei mandatis obtemperans filium suum super struem lignorum impositum in holocaustum offert, ut ex Genes. cap. 22. Hoc in loco etiam cernitur asellus singulari nota descriptus à Vasario part. 2. fol. mihi 313.

Deinde sequuntur historiæ Isaac & Jacob, ubi inter cætera repræsentatur Isaac pro uxore sterili deprecans Dominum, qui exaudivit eum, deditque conceptum Rebeccæ, quæ peperit Esau & Jacob, quorum major vẽdidit primogenita minori, ut Gen. c. 25. Item continetur quando idem Isaac in Geraris peregrinatus Rebeccam dicens Sororem suam repræhenditur ab Abimelech, ut Gen. cap. 26. Item exponitur Jacob per matris astutiam benedictionem loco sui fratris Esau ab Isaac patre extorquens, ut Genes. cap. 27.

In Superiori iconismo affabrè exprimitur Jacob in somnis scalam videns, cui scalæ innititur Dominus, ut ex Genes. cap. 28. Item non inconcinnè ostenditur Esau Fratri Jacob occurrens, ut in Genes. cap. 33. Nec incomptè repræsentantur Simon, & Levi ob Dinæ raptum Sichimitas prius circumcisos interficientes; ut in cap. 34. ejusdem Genes.

In sequentibus tabulis cernitur historia Joseph. Ex his prçcçteris singulari animadversione digna cẽsetur tabula, ubi Joseph somnia fratribus narrat; quare fratrum odium in se concitans venditur Ismaelitis Ruben inscio. Nec non & altera, ubi ostenditur quando Joseph cuncta prospera succedunt dum ageret apud herum Putipharem, donec à domina frustra interpellatus apud Dominum adulterii accusaretur, ut in cap. 39. Nec minoris ponderis est iconismus, ubi idem Joseph somnia Pharaonis de bobus, & spicis interpretatus toti Ægypto prçficitur, ut in Genes. capit. 41. Hîc visitur satis elegans architecturæ prospectus, ac ibi sequentia carmina in laudem Pictoris delineata sunt.

Quid spectas volucres, Pisces, & monstra ferarum?
Et virides Silvas, æthereasque domos?
Et Pueros, Juvenes, Matres, canosq; Parentes,
Queis semper vivum spirat in ore decus.
Non hæc tam variis finxit simulacra figuris
Natura ingenio fœtibus apta suo.
Est opus artificis; pinxit viva ora Benozzus:
O Superi vivos fundite in ora sonos.

Posthæc continuantur historiæ Jacob, & Joseph. Deinde sequuntur aliæ Moysis, Balaam, &c. In harum Iconibus plura notanda sunt, & præcipuè Pharao quando Israelem persequens, & mare rubrum ingrediens cum equitatu & curribus submergitur; ut Exod. capitul. 14. Item Regina Saba quum Regem Salomonem adit multo cum comitatu, & divitiis, ut ex Reg. cap. 10. Observandum est hîc quod in prædicto comitatu alter, qui signum in bireto defert, ipsius artificis Benozzi effigiem ut ajunt repræsentat. In parte antica, seu in capite ejusdem Cęmeterii sequitur histo-

HISTORIA D. RAYNERIJ CONFESSORIS PISANI

in Meridionali latere Cæmeterij Basilicæ Pisanæ sæculo XIII. *depicta, et* Italico idiomate ac peruetusto charactere expreſsa



Come il B. Ranieri sonando uno strumento passando il Beato Alberto per Cisanello fue admonito del non sonare, e subito seguitò il Beato Alberto, e cõuertito tanto pianse che diuentò cieco, e come sopra a loro apparue uno smisurato lume, et illuminato li disse, Dio ti Ha eletto, et atti perdonato



Come il Beato Ranieri ando oltre mare con la sua mercantia, e forte pussando cognoue per spirito, che a Dio piaceua che lassasse il Mondo, onde dispenso il suo à poueri, e uestissi d'una schiauina, e da dui uecchi fue appresentato dinanzi nastra Donna dicendoli Ranieri tu riposerai nel mio Grembio nella Citta di Pisa



Come il Beato Ranieri stette sette anni oltra mare, e fece trè quarantine nella Terra Santa, et in Nazzaret orò per quei Preti, e dal demonio ebbe molte tentazioni, et Leonze feroci a lui diuentorno mansuete, et sul monte Tabor Christo l'apparue con Mose et Helia e d'un pane satio miracolosamente dieci poueri



Ammonito da Dio il Beato Ranieri che douesse tornare alla sua Patria fu accompagnato con pianto uniuersale fino à doue doueua imbarcare e seco portando la scrittura Santa si messe in uiaggio andando a Messana, doue sbarcato conobbe che un Vinaiolo uendeua piu acqua che uino, e miracolosamente fece separare l'acqua dal uino essendogliene stato uotato di suo ordine nel mantello, e domandò al Vinaiolo: Hora uedi quel diauolo in forma di gatta, che ti inganna, e compunto si conuertì, e come tornato a Pisa riceuette refetione da Canonici che erano andati ad incontrarlo



Come essendo passato da questa all'altra Vita il Beato Ranieri nella Cappella della Badia di San to Vito, et essendo recato al Duomo dal Clericato con grande solennitade di Cittadini con infiniti lumi in mano fece dimolti, e uary miracoli sonando etiamdio le campane di Pisa da per loro stesse, e molti altri miracoli li quali appariscono nella sua leggenda Amen.



Come essendo posto il Beato Ranieri nella Chiesa maggiore di Pisa alla tomba sua uenendo molti infermi di diuerse infermitadi furo tutti liberati; et un fanciullo morto essendo caduto da alto fu risucitato, e come una naue essendo assalita da terribil tempesta fu liberata per esser stato implorato il Diuino aiuto, e gettata nel mare da un Pisano un poco d'acqua benedetta del Santo mentre subito si fece il mare tranquillo

Ioseph et Franc. Milani del

Hier. Frezza incid.

storia Regis Oziæ, ac altera Regis Balthassaris; Quæ omnia fuerunt per Zacchariam Rondinosium non obscurè depicta. In parte verò postica, seu inferiori repræsentatur historia Judith ab Equite Guidotto expressa; nec non & illa Regis Assueri, ac altera Reginæ Ester ab Augustino Massa, juxta verò aliorum sententiarum, à Baccio Lomio Pisano accurate elaborata.

Parietum pars altera ad Meridiem exhibet fortissimi Job celebrem historiam ab egregio viro Jotto Florentino elegantibus coloribus delineatam, ac in sex tabulas divisam. In harum tabularum proxima inter cętera singulari animadversione digni censentur Nuntii malum, quod acciderat Job significantes, cum pastorũ more induti dolorem ob amissos ovium greges, aliaque detrimenta susceptum ad vivum exprimãt. In aliis tabulis etiam peculiari nota dignus est idem Job ulcere pessimo percussus saniem sibi testa radiens in sterquilinio. Cæteræ quoque figurę, ut inquit, idem Vas. part. 1. fol. mihi 123. præcipuè in capitibus accuratis delineationibus exprimuntur, & eam Jotto famam tunc temporis pepererunt, ut summus Pontifex Benedictus XI. dictus XII. eundem accersiri jusserit, ut in D. Petri augustissimo Templo suo penicillo Sacras Historias efformaret. Prędictarum figurarum vestes ab injuria temporum læsas vel salsedine rosas Joannes Stephanus de Marucellis circa dimidium Sæculi nuper elapsi elegantibus coloribus reaptavit.

Post vitam Job sequuntur plurium SS. Martyrum, & Confessorum celeberrima gesta: deindè quatuor Novissima, nimirum Mors, Judicium, Infernus, ac Paradisus; ac demùm in ipsius Cæmeterii facie Domini nostri Servatoris Crucifixio, ejusdemque gloriosissima Resurrectio. In præmemoratis proximis SS. Martyrum iconibus occurrunt, Sanctorum Ephisi, & Potiti fortissima gesta ab insigni viro Spinello Aretino egregiis coloribus depicta. In harum altera ostenditur Sanctus Ephisus quando ab Imperatore Generalatus insignia contra Christi fideles excipit, ac postmodum divinitus, ne Jesum Christum persequeretur admonitus Vexillum fidei cum Cruce alba in campo rubeo de manu Angeli suscipit. In cæteris iconismis varia ipsorum Martyrum tormenta, ac eorundem Sanctorum Corporum Pisas ex insula Sardinia translatio satis accurate efformantur. De hac traslatione libet adnectere quod cecinit Salvator Vitalis Ecloga 2. de mystica Sardiniæ fertilitate.

Pisani rapuere, pavor Mavortius orbis
Sardinię rerum Domini, dum Rege sub armis
Museto extincto, sub amica silentia noctis
Sacrum onus imponunt Navi, aurisque secundis
Deveniunt Arni fauces, clerisque paratis
Præsule turrito, coram fulgente corona
Magnatum, populis, & majestate Senatus
Mole togarum, sacratum funus ab undis
Eductum cantante Choro, mulcentibus auris.
Omnigenis fidibus redolente vaporibus ora
Alma in tecta ferunt, & Sanctæ Matris eburna
Virginis æde locant: aulam circa ilia Templi
Forniceam condunt inclusas murice, & auro
Stellatis urnis, Ephisi de more piorum
Reliquias Danai, Calaritanique Potiti
Custodia seris, munitaque clavibus ossa
Antiquo pro jure tenent, pro jure tuentur.
Magnus erat quondam Pisis florentibus urbe
Erga isthæc zelus clarissima lumina mundi
Potitum, Ephisium: quin & solemnia soles
Festa per octo solent (olim meliora solebant)
Sueta celebrari miris illustria signis.

In sequentibus sex tabulis præclaram D. Raynerii Confessoris Pisani vitam egregie delinearunt Simon Memmius Senensis, & Antonius vulgò nuncupatus *il Venetianino*; quorum alter floruit circa dimidium 13. sæculi; alter verò circa finem. In harum tabularum prima plura notanda sunt, ac præceteris D. Raynerius psalterio speciosissimas Fæminas ad saltum excitans, qui postmodum à B. Alberto admonitus ob patrati criminis mœrorem ingentes lacrymas emittit. In altera idem Sanctus exhibetur bona pauperibus distribuens proxime Navim ingressurus; ibi inter cætera commendantur claudi, cæci, pauperes Fæminæ cum pueris; siquidem omnes revera eleemosynas petentium, gratesque rependentium actus optime demonstrant. In sequenti icone visitur B. Virgo

quando in Civitate Tyri eidem Raynerio apparuit, ut supra indicavimus pag. 37. In altera idem Vir Dei repræsentatur in Monte Thabor cęlesti Numinis cum Moysi, & Elia apparitione recreatus. In cæteris quadratis à laudato Antonio *Venetiani-no* depictis perpolite designatur D. Raynerius in Navi ad Patriam reversurus. Plures etiam figuræ visuntur affabre stupore perfusæ, dum Vir Dei cuidam Cauponi diabolum ostendit dolio sub felis forma insidentem, & aquam à vino divinitus sejunctam in terram cadentem. Nec minorem considerationem efflagitat quadratum, ubi servi Dei obitus exprimitur; ibidem cantorum cætus circa feretrum mirabilis, nam omnes canentium cum oris, tum corporis gestus pereleganter efformant. Turba quoque innumera pauperum, cæcorum, claudorum, & eorum, qui dum sacrum corpus ad majorem Ecclesiam ferebatur sanitatem exceperunt, scite coloribus elaborata est. Has prædictas icones, quæ nonparum, ut ajunt, profuerunt ob illarum antiquitatem pro indulto recitandi lectiones proprias in officio ejusdem Sancti, cum alicubi edaci temporis morsu vel salsedine corrosæ sint, ære incidendas curavimus; quarum tres penitus absolutas in tabula 27. habebis. Inde sequuntur Sanctorum Patrum vitæ mirabili artificio expressæ; ac primò visuntur varia Abbatis Paphnutii gesta, ab eodem Antonio Venitiano eleganter delineata. Hoc in loco dignam judicavimus, quæ rerum antiquarum studiosos non dimittat, proximam inscriptionem Rolandi Canonici Pisani. Hunc extitisse ferunt eundem, qui postea in Apostolico Throno Alexander III. appellatus est. Verba inscriptionis hæc sunt:

Ego Rolandus Canonicus, & Diaconus ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ præ remedio animæ meæ ad exemplum multorum hanc domum meis stipendiis à fundamento construxi in qua Reliquias Martyrum Viti, & Antonini ad ejusdem tutelam recondidi. Si qua igitur Ecclesiastica, secularisve persona hanc domum ab hospitali pauperum Mulierum alienare voluerit perpetuæ anathemati subjacebit. Sicque factum est anathema à Canonicis, & Clero Civitatis anno Domini M.C.XLVII. Sit Rolando requies, Pax, vita perennis.

Monimentum hoc erat olim infixum externo parieti parvæ domus existentis in via quam vocant S. Mariæ, ubi in loculamento prope fęnestras assurgit simulacrum Deiparæ Virginis Filium amplexantis è contra Hospitale vulgò nuncupatum *Spedale de Trovatelli*: huc ad majorem antiquitatis tutelam translatum fuit, ut ex lapide renovato in veteri loco accipies. In aliis deinde iconismis plures Religiosi in solitudine cernuntur; alii, nimirum in monte divinis contemplationibus dediti; alii operationibus ad victum sibi parandum intenti accuratè repræsentantur. Hîc sanè plura notanda essent, dum omnes figuræ à celeberrimo Viro Petro Laureato Senensi affabrè expressæ sunt; verum brevitati indulgentes ab illarum descriptione abstinebimus.

Proximè sese offert tormentorum domus ab insigni Bernardo Orgagna Florentino depicta. Hîc varia pœnarum genera, innumeraque damnatorum tormenta artificiose delineata sunt; Etquidem in medio veluti in cathedra flammis undequaque manantibus diabolus miræ magnitudinis insidet, & aliorum dęmonum actiones, animarumque cruciatus ignitis oculis inspicit.

In proximo quadrato exprimitur Judicium ab Andrea Orgagna supradicti Bernardi fratre eleganter efformatum. Ibi prominet magna sedes ab aliis Apostolorum subselliis sejuncta, ubi Christus Dominus cum majestate insidet. Hinc inde Angeli, quorum alii Crucem, alii spineam coronam, alii lanceam, disciplinas, funes & alia Sacra Passionis instrumenta demonstrant. Non procul assidet Beatissima Virgo; Inferius tàm à dextris, quàm à sinistris Sanctorum ac Sanctarum cætus exultant; In plano in parte dextera electorum multitudo astat, in sinistra damnatorũ turba ad tartara dejicitur; in medio verò visuntur sepulchra è quibus mortuorũ corpora animabus conjuncta resurgunt. Hîc quemdam hypocritã electorũ cætui sese conjungentem ad reproborum locum ab Angelo rejectum; Salomonem autem, cujus

jus salus incerta habetur, pictoris solertia neque à dextris, neque à sinistris, sed ipsum è sepulchro egredientem sedulò effinxit. In Justorum cætu præmemoratus artifex plures pinxit amicos & benefactores, inter quos, ut inquit Vasarius, Summi Pontificis Innocentii IV. effigiem efformavit.

In proxima icone Mortis triumphus ostenditur, ubi sequentia verba leguntur.

Schermo di sapere, e di ricchezza
Di nobiltate, e di prodezza
Val niente al colpo di costei.

Per aerem deformissimæ vetulæ formam præseferens falce elata, nigrisque alis in actu volantis Mors eminet. Subter prominet magnus cadaverum acervus; ubi Pontifices, Imperatores & Principes cum pauperibus, servis & rusticis confusim alter super alterum inspiciuntur. Ex Justorum ore animas sub humano corpore ab artifice expressas Angeli excipiunt; Diaboli verò è reproborum oribus illas abstrahunt. Non procul visitur Turba claudorum, pauperum, ac senum mortem ipsam enixe, ut eorum miserrimæ vitæ diem solveret extremum, exorantium. At illa eorumdem preces respuens ad alios falcem dirigit, nimirum ad juvenes, qui in viridario inter sonitus & cantus una cum fæminis psallentes vitam in deliciis degunt, ex his alterum qui manu accipitrem sustinet, Castrucci Ducis effigiem præseferre ajunt. Suprà proximum montem cernuntur plures senes mortem continuò expectantes. In angulo inferiori tres visuntur arcæ, ubi tria regum mortuorum corpora jacent, quorum alterum est uti recens, alterum inflatum, tertium verò ossa denudata demonstrat. Quibus arbitror peritum artificem ostendere voluisse hujus terræ virtutem, 24. horis corpora in pulverem redigentem, ut cecinit Nathan Chytræus his versibus.

Antiqui Splendoris ad huc monumēta supersunt.
Inclyta, marmoreis fulgentia tecta columnis
Turris, & inclynata foris minitansque ruinam,
Pendula recta intus si videris, area longa
Gloria Romani Decius, qua maxima juris
Conditus est, ubi vicenis, & quatuor horis
Corpora consumi memorant his obruta terris.

In has prædictas arcas oculos figunt plures viri equis insidentes, quorum alter, qui sibi nares claudit Ludovicum Bavarum, ut ajunt, repræsentat; alter Uguccionem vulgò *della fagiola*, Tertius verò Imperatorem Fridericum vulgo *Barbarossa*. Non procul hinc die Commemorationis omnium fidelium defunctorum è plano pavimenti attollitur funebris Thronus, sub quo ara consurgit, ubi Missa solemnis pro defunctis celebratur cum interventu totius Cleri, qui etiam post secundas Vesperas Festivitatis omnium Sanctorum huc processionaliter accedit ad Vesperas pro iisdem defunctis recitandas maximo populi concursu.

Proximum quadratum in fronte ejusdem Cæmeterii affabrè ab eodem Buffalmacco delineatum fuit. Hic Primogenitus mortuorum, Christus Dominus cum latronibus è Cruce pendet; Juxta Crucem visitur Beatissima Virgo dolore transfixa, ac à longè plures, qui Crucifixionem spectaverunt militum revertentes turbæ conspiciuntur. In altero iconis latere ejusdem Redemptoris resurrectio repræsentatur, ubi sequentia verba appicta sunt.

In Resurrectione tua Christe
Cœli, & Terra lætentur alleluja.

Ac non procul in eadem icone cernitur etiam Domini gloriosissima Ascensio, ubi pariter hæc verba visuntur.

Omnes gentes plaudite manibus jubilate Deo
Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.

Quæ quidem verba hoc in loco fortasse ad mortis etiam timorem ablegandum fuerunt expressa; nam si Christus Dominus re-



Prospectus in-
terior Cœmeterij
Basil. Pisanæ

resurrexit, ita & nos resurgemus; *omnia*, inquit, D. Augustinus Serm. 3. de Ascens., *quæ Dominus Jesus in hoc mundo sub fragilitate nostra miracula edidit nobis proficiunt: qui dum humanam conditionem syderibus importavit, credentibus Cœlum patere posse monstravit; & dum victorem mortis in cœlestia elevavit, victoribus quò sequantur ostendit: Quia igitur*, ut inquit S. Leo Serm. 1. de Asc. Dom. *Christi Ascensio nostra provectio est, & quo processit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis; dignis exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur.*

Hujus elegantissimi ædificii ut melius concipiatur dispositio, interiorem illius Prospectum juxta regulas ejusdem laudati Viri Andreæ Putei Societ. Jesu delineatum oculis subjiciemus.

DE

Tab. 29



Turris Campanaria Basilicæ Pisanæ



Ioseph. et Franciscus Milani Fr.tes delin. Pisis

Dominic. Marianus Franceschini Sculp. Romæ Sup. perm.

D E

TURRI CAMPANARIA BASILICÆ PISANÆ.

De partibus exterioribus, & interioribus.

CAPUT XX.



D quartum denique mirabile, totumque per Orbem celeberrimum ędificium, nempè Turrim Campanariam vulgò *Campanil Torto*, accessimus. Hoc à solo palmos 250. circiter eminet, ac in gyrum ad palmos 230. protenditur. Albo ex marmore constat, ac forma rotunda, septemque columnarum marmoreis ordinibus, quorum alter alteri imminet, exornatur. Ultimo columnarum ordini super plures marmoreos gradus area elevatur albo marmoreo pariete cum pluribus loculamentis, seu magnis fenestris pro Campanis circumdata. Columnæ marmoreæ hoc in opere circumstantes 200. numerum explent, quorum omnium capita Corinthiis regulis efformantur. Muri omnes ex marmore compacti sunt, & iidem concamerati coclidem marmoream scalam, per quam ascensus usquè ad summitatem facilis & commodus, includunt. Per unicam januam patet interior aditus, ac per plures fenestras lumen intro ingreditur. Forma interior pariter rotunda est, & ad similitudinem magni, ac alti putei constructa. Moles hæc duobus etiam rotundis mænianis illustratur, ad quorum primum per cochlidem parvam scalam ascenditur, & inde per supramemoratos gradus undique ad aream supradictam pervenitur. Hoc loci elegans attollitur Campanarum Theatrum, nullo tegumento, nullove silice tectum. Octo appensæ in suis loculamentis campanæ circumstant, quarum materiem multo longius superant operis elegantia & pulcritudo. Harum maxima Assumptionis nomine decoratur vulgò *l'Assunta* ac propè illius culmen hæc verba expressa sunt. *Assumpta est Maria in Cœlum gaudent Angeli laudantes benedicunt Dominum*. In ejusdem apice opere semianaglypto visuntur Crux cum pede. Beatissimæ Virginis Assumptæ effigies; Stemma Serenissimæ Mediceæ Familiæ, & aliud stemma Francisci, opinor, *del Seta* tunc temporis Operarii: Prædicta Campana est ponderis decem millium, & ultra librarum.

Altera non longius distans vulgò nuncupatur *del Crocifisso*, ac in ea Crucifixi imago prominet; Hæc per Vincentium Possentum anno 1572. fusa fuit Operario Raphaele Setario, sed postmodum anno 1702. iterum fusa est per Antonium Petri Pisaurensem Operario Julio Gaetano, ac ponderat libr. 6800., & amplius.

Tertia vocatur *la Giustitia*; hæc aderat in Turri Judicis, & pulsabatur quando reus ad patibulum pergebat. Hæc olim, prout hodie, quoque signum dabat horis meridianis pro salutatione Angelica. Hunc in locum translata fuit ob ejus claram vocem cum cæteris campanis consonam aliâ in illius locum suffectâ. Prominent in ejus exteriori parte nonnullæ figuræ, nimirum effigies Beatissimæ Virginis ab Angelo salutatæ, & ibidem hæc verba leguntur -- *Ave Maria gratia plena* -- Item Angelus expansis alis, stemmata, ni fallor, Consulum Pisanæ Civitatis, nempè Rosa, Aquila, Agnus, & Griphus. Circa eandem hæc verba conspiciuntur *Gerardus hospitalarius solvit anno* 1262. *Lottirineus de Pisis me fecit*. Pondus est 4000. librarum.

Quarta appellatur vulgò *la Pasquareccia*. In ejus culmine hæc verba visuntur. *Lotterineus filius Bartholomei Pisani me fecit anno*

Do-

Domini 1266. Pondus 2800. lib. est

Quintam vocant *del Pozzo*. In illius cuspide hæc verba exprimuntur. *Serenissimo Ferdinando Etruriæ magno Duce Carolus Antonius Puteus Archiep.* In eadem etiam cernuntur hæc sequentia signa, nempè Crux Pisana; stemmata Serenissimi magni Ducis, Archiepiscopi Putei, & de Castellis Operarii; Hæc est ponderis 1800. librar. & ultra.

Aliæ verò Campanæ sunt mole, ac pondere minores ideo brevitatis gratia illas omittendas decrevimus. Sonitum tamen illarum silentio obvolvendum minimè censuimus; nam quælibet illum juxtà musicales voces emittit, omnesque insimul gratum concentum efformant. Ad earum omnium pulsationem 14. homines requiruntur, illasque in supradicta area stantes commodè ad sonum inducunt. Ex hoc loco per parvulam cochlidem scalam ad secundum mænianum, quod eisdem Campanis imminet, ascenditur. Ibi sanè aspectus jucundus, nam arva pulcherrima, flumina, montes, mare, Portus Liburnensis, & alia visui delectabilia cōspiciuntur. Mirabilis verò hujus fabricæ inclinatio, quæ nonnisi dejecto ob stuporem supercilio cernitur, ad pal. 17. & ultra extenditur, ut ex tabula 29. cognosces. Ipsius declivii originis varia inter architectonicæ artis professores habetur opinio; Nam alii, quos sequitur P. Gaspar Scotti tract. de Magia Univ. p. 3. l. 1. pag. mih. 60. datâ operâ hanc adinventam; alii verò, quos inter Vas. lib. 1. fol. 90. ex instabilitate soli contigisse putant; at hujus rei causam iisdem professoribus disquirendam remittemus. Hujus ædificii fundamenta jacta fuerūt anno 1174. in vigilia Divi Laurentii, atque unius anni spatio usque ad primum columnarum ordinem fuit opus perductum. Illius Artifices tres enumeratur, quorum primus fuit Willelmus, ut fertur, Germanus; Alter Bonannus Pisanus; Tertius verò Thomas Pisanus celebris sculptoris Andreæ Pisani discipulus, qui, ędificio loculamentorum constructione pro campanis ultimam manum imposuit. Quid autem significent Hieroglyphica propè januam utrinque existentia, nempe serpens seu Draco habens ex una parte aprum, ex altera taurum & hircum; sicuti Turris in mari prominens cum navibus nos prorsus latet, ni velimus dicere primum, ut ajunt nonnulli pacem, ubertatem & fortitudinem ostēdere; Secundum verò Turrim præseferre illam in supramemorato Portu Liburnensi ab eisdem Pisanis tunc temporis à fundamentis excitatam, quæ pulchritudine & elegantia paucis erat comparanda. Beatissimæ denique Virginis Filium amplexantis effigies Januæ imminens fuit, ni fallor, à prælaudato Bonanno exculpta.

Atque hæc, Benigne Lector, in Pisanæ Basilicæ honorem dixisse sufficiat, in quibus siquid boni inveneris, non mihi, sed Omnipotenti Deo bonorum omnium datori grates rependas; siquid secus, & animadversione dignum, veniam infirmitati meæ, ne deneges. Vale.

CON-



CONCILIUM PISANUM GENERALE AB INNOCENTIO II.

Anno 1134. *indictum*.

CHristi Salvatoris anno 1129. functo vita Honorio Papa II. exortum fuit nefarium schisma inter Innocentium II. & Petrum Leonis, qui se Anacletum dixit pariter secundum. Siquidem, ut inquit eruditiss. Cabassutius Hist. Eccles. pag. mihi 391. sanior Cardinalium pars solicite curabat, ut quamprimum fieret electio, ne scilicet Romæ laici proceres tyrannice, ut consuetum ipsis erat, Pontificis electionem interturbarent, quod sæpius factum ab ipsis fuerat, cæsis etiam, & in vinculis conjectis Summis Pontificibus legitime jam electis; neve præsenti, quæ facienda erat, electioni pro suo more obsisterent. Statim igitur ab Honorii morte, priusquam illa divulgaretur, Gregorium tituli Sancti Angeli Cardinalem, qui se Innocentium II. nuncupavit, elegerunt, & conclamaverunt. Cæteri verò, vel, ut referunt eruditiss. Philippus Labbeus, et Gabriel Cossartius lib. x. Concil. pag. mihi 945. una pars Cardinalium paucissimorum, Petrum Cardinalem Leonis potentissimi civis Romani filium, hominem nec unius viculi potestate dignum schismaticum antipapam crearunt, eique Anacleti nomen imposuerunt, maximoque schismati causam dederunt. Uterque Civis Romanus erat. Innocentius per Ostiensem Episcopum ex more consecratus est in Basilica Lateranensi. Anacletus autem in Vaticana. Ille stirpis, ac natalium, et procerum gratia; et consensu inferior æmulo suo Anacleto; hic verò natalium splendore, divitiarum copia, nobilium favore, ac plebis inclinatione longe superior. Itaque Populus Romanus pravis illecebris Anacleti corruptus Innocentium, et eidem addictos Cardinales, partemque illius non solum probris, et conviciis incessere institit, sed etiam armis, et omni telorum genere in eorum vitam conspirare. Quibus malis cum resistere se non posse Innocentius cerneret, sibi Urbe cedendum existimavit, ac relicto in Laterano Sabinensi Episcopo Conrado, paratis occulte navigiis secundo Tiberi cum sociis Cardinalibus ad mare, atque inde duabus Pisanorum triremibus Pisas accessit. Exceptus est à Pisanis tantis studiis, quantis verum excipi Pontificem decuit, nimirum in hunc qui sequitur modum à Bernardo Abbate Bonævallis in vita D. Bernardi Clarevallensis lib. 2. c. 1. relatum: *Audito tantorum*

virorum adventu, & cognitâ causâ, propter quam de Urbe exierant, gratulata est Pisa, quod ad se Romani nominis gloria transferretur, & sibi nominis æterni, & perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergo honorati consules, & Domini Papæ pedibus advoluti gratias agunt quod eos tanto dignos judicasset honore, ut eorum eligeret Urbem, quam propria dignaretur illustrare præsentia. Tua est, inquiunt, Civitas; Nos populus tuus: nostris stipendiis famulamur tibi; imo in usus tuos Respublica quicquid apud se repositum habet, exponet. Nihil duplicitatis invenies in Pisanis: non modo adhærebunt, modò resilient; modò jurabunt, modò juramenta dissolvent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis & cædibus intestinis; Non est gens nostra domi audax; nec extra meticulosa. Nos nec servi sumus, nec Domini, sed concives & fratres, honore invicem prævenientes, non seditiosis ausibus alterutrum provocantes. Domi mansuetudine utimur: fortitudinem nostram sæpe extranei experiuntur. Nos Pœnis subactis, & Balearibus insulis subjugatis terra, marique de piratis & dyscolis triumphantes reges eorum captivos in vinculis Pisam induximus; de quorum, spoliis & varia supellectile hodie in adventu tuo ornantur compita & plateæ, & lætabunda civitas coronatur. Post hujusmodi verba populo obviam procedente, præ innumerabili multitudine vix patebat advenientibus via, sed pedetentim procedentes desideratam sui copiam prospicientibus per fenestras matronis, & virginibus, & parvulis Cardinales præbebant, & porrectis hinc inde benedictionibus, usque ad B. Mariæ Can.nicam, Dominus Papa cum comitatu suo gloriose deductus, & honorifice susceptus est. Paulo post proximorum Episcoporum conventu habito, ut inquit Ciacconius in vita Summ. Pontif. et Card. tom. 1. col. mihi 500. Anacletum, partemque ejus interdixit, atque Henricum Patriarcham Grandensem designatum consecravit, ac pallio insignivit. Interea Innocentius multis in Etruria constitutis vale faciens Pisanis, et gratias agens in Franciam, quo à Rege vocatus erat, iter instituit. Claromonte profectus ubi conventum habuit, atque iterum Anacletum damnavit, Aurelianum accessit ubi ab Episcopis et Ludovico rege ejus nominis VI. obviam progressis exceptus, et legitime cultus fuit. Perlustrata denique Francia Rhemis concilium frequentissimum habuit, in quo multis ad honorem Dei dispositis Anacletum de integro condemnavit. Sequenti anno, qui fuit 1133. ut notat laudatus Cabassutius Leodium prodiit, atque ibidem Lotharius Romanorum Rex cum omnibus sacris, profanisque regni sui proceribus, et universa Germaniæ nobilitate postmodum ad pedes Pontificis procubuit, ac pollicitus est se eum Romam cum exercitu reducturum. Leodio digressus Dominus Papa, ac Bernardi Clarevallensis Monasterio lustrato sese in Italiam retulit, ac Genuam reversus ibi Lotharii adventum sibi expectandum esse constituit. Lotharius intera opportunus advenit, assumptoque Innocentio Viterbium, atque inde Romam perrexit, tantumque Anacleto et fautoribus ejus Urbem tenentibus terroris injecit, ut editas in turres salutis tuendæ causa concesserint. Premebantur hoc interim Germani duobus gravissimis detrimentis, uno quod libere vagari per Urbem non possent adversariis ex turribus eos lapidibus, et sagittis lacessentibus: altero quod æstu Romani cæli Germanorum corporibus infestissimo graviter afficerentur; quorum utrique occurrere Lotharius cupiens in Basilica Lateranensi post acceptum ab eodem Innocentio Imperatorium diadema Urbe discessit, ac Longobardiam repetiit. Eo ex Urbe profecto Anacleti factio è turribus exiit, ac per Urbem volitans cædem amicis Innocentii intentare, ac novo omnia tumultu permiscere instituit. Quare Innocentius intelligens mansionem suam in Urbe rationibus Ecclesiæ parum conducere, ne præsentia sua rabiem, ac furorem adversariorum accenderet, Pisas, Civium erga se benignitatem expertus, repetiit, ibique novum Concilium ex toto Occidente indixit, ubi eundem Innocentium, ut indicat Brev. Rom. in off. ejusdem Sancti lect. VI. D. Bernardus egregie adjuvit.

Acta hujus Concilii desiderantur, nec illa usq; nunc in vetustissimis Pisanis tabulariis, nec in Vaticana Biblioteca reperiri licuit; Ea tamen præcipua in excommunicatione pseudopontificis Anacleti versabantur, ut refert Bernardus Abbas Bonævallis in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 2. cujus verba una cum nonnullis aliis monimentis

tis excribunt eruditis: PP. Philippus Labbeus, & Gabriel Cossartius tom. 10. Concil. col. mihi 989. nempe,

De hoc ista Bernardus Abbas Bonævallis in vita Sancti Bernardi lib. 2. capit. 2. Innocentius rursus Pisas revertitur: ibique aggregatis totius Occidentis Episcopis, aliisque religiosis viris magnæ gloriæ synodus celebratur. Adfuit per omnia & consiliis, & judiciis, & definitionibus omnibus Sanctus Bernardus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante ejus limina Sacerdotes: non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum; & aliis egredientibus alii introibant, itaut videretur vir humilis, & nihil sibi dehis honoribus arrogans, non esse in parte solicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones concilii longum est prosequi: summa tamen in excommunicatione constitit. Et usque hodie hæc sententia perseverat. *Hæc tantum ipse de tam magno Concilio.*

Res in hac synodo gestas Robertus continuator Sigeberti paucissimis verbis hisce commemorat. Petro antipapa ob parentelæ suæ fortitudinem apud Sanctum Petrum commorante Innocentius Roma egressus in Gallias proficiscitur, & Gallicana sibi adhærente Ecclesia, conciliis celebratis, primo Remis, secundo Pisis, in papatu confirmatur, & Petrus ab omnibus Galliæ, & Germaniæ Episcopis anathematizatur. *Petrus Cluniacensis Abbas, qui una cum Gaufredo Carnutum Episcopo huic Concilio interfuit, de hac synod. haud dubie id intelligi vult quod Epist. 17. ad Innocentium scripta conquerens ait, non longe à Ponte Tremolo Italiæ oppido plurimos Galliæ Episcopos, & Abbates à synodo revertentes, captos, vulneratos, & in carcerem conjectos esse.*

Ex gestis Abbatum Sancti Laurentii Reverendus Dominus Joannes Chapeaville Canonicus, & Vicarius Leodiensis Episcopus apud Innocentium Pontificem de Simonia accusatus, & ab ipso semel, & secundo ac tertio vocatus, cum venire tardaret in Concilio Pisano deponitur. Quo uno nuncio percepto in tantam amaritudinem incidit, ut quasi vix confessione facta, communioneque percepta, & regulari vita ad Sanctum Ægidium promissa, spiritum exhalaverit.

Eminentiss. Baronius Ecclesiasticæ historiæ indagator diligentissimus hæc refert Tom. XII. Annal. ad ann. 1134. Sequitur annus salutis millesimus centesimus tricesimus quartus, indictione duodecima, quo ab Innocentio Papa celebratur Pisis Concilium Generale ex Episcopis Italiæ, & Transalpinis de quo ita Bernardus Abbas Bonevallis in rebus gestis S. Bernardi Abbatis Cisterciensis *de quibus supra dictum est, ac paulo post subjungit.* Post celebratum Pisis Concilium, antequam dimitterentur, qui congregati illic Concilii causa Archiepiscopi, & Episcopi fuerunt, eorum consilio adhibito, Innocentius Papa retulit inter Sanctos Hugonem Episcopum Gratianopolitanum &c.

Eruditiss. Marcus Battaglinus histor. Concil. pagina mihi 582. Italico idiomate hæc habet.

Partito l'Imperadore si diè Innocenzo a riordinare le cose confuse della Chiesa ridotte a deplorabile stato per esser incompatibili affatto la licenza che dona assai larga la Guerra colle regole, che prescrive assai strette l'onestà; & avendo in faccia ancora l'Antipapa armato, convenendoli di star sempre in guardia, e far la figura più di Capitano, che di Sacerdote, deliberò di lasciar Roma, e portarsi a Pisa, ove la potenza di quella Republica gli apparecchiava sicuro Asilo. Pervenne egli colà entro l'anno mille centotrentatrè, dandosi poi nell'entrante alla celebratione di un Generale Concilio, che di già colà avea intimato non solo per mantenere in fede i Vescovi verso lui, & invigorire le censure contro Anacleto, ma per chiedere loro ajuto, e consiglio per l'intiero distruggimento del partito Scismatico. Fù numerosa questa adunanza anche di Prelati Francesi, e Spagnoli, e tenne il luogo della più alta estimazione fra essi San Bernardo chiamato dal Papa in Italia per impiegare il Tesoro della sua eloquenza a comperare l'altro Tesoro della Pace coll'abbattimento de fazziosi. Compito che si ebbe alle parti suddette, che furono le principali della chiamata del Sinodo, si chiuse questi colla canonizzazione del B. Ugo Vescovo di Granoble &c.



CONCILIUM PISANUM GENERALE

Anno 1409. celebratum.



ANNO reparatæ salutis 1394. mortuo prope Avenionem Pseudopontifice Roberto Gebennensi, qui Clementis VII. in schismate adversus Urbanum VI. sibi nomen asciverat, Petrus de Luna Cardinalis S.Mariæ in Cosmedin in ejus locum, ubi sibi nomen Benedicti XIII. elegit, ab asseclis Cardinalibus sufficitur. Jampridem mortuus fuerat memoratus Urbanus VI. anno Pontificatus 12., Christi verò 1389. cujus justis persolutis Romani Cardinales in Petrum Thomacellum Neapolitanum consenserunt Presbyterum Cardinalem tit. S. Anastasiæ, qui se Bonifacium IX. nominavit, suumque Pontificatum ad annum usque decimum quintum prorogavit. Post illius obitum eligitur Innocentius VII. cui extincto, postquam in Pontificatu biennio, & diebus viginti duobus vixisset, suffectus est Angelus Corarius Venetus, qui Gregorii XII. nomen assumpsit. Sub hujus Pontificatus anno tertio, Christique anno 1409., ut notat laudatus P. Jo. Cabassutius notit. Eccles. hist. & Conc. pag. mihi 502. Cardinales utriusque obedientiæ pertæsi tam diuturni, & exitialis schismatis, stimulisque adacti conscientiæ, quod ipsum præter datam cum juramento fidem fovissent, seriò de illo extinguendo cogitarunt, mutuisque inter sese cum Principibus, multisque Prælatis Ecclesiæ officiis hoc præstiterunt, ut Pisis Concilium Generale indiceretur, in quo de abrogando utrique contendentium Pontificatu ageretur, novoque eligendo Pontifice, qui Universæ Ecclesiæ acceptus esset. Pisis itaque utriusque partis purpurati Principes, & Antistites advenere, ubi ab officialibus Sacræ Synodi judicio postulati, accusatique sunt præmemorati Gregorius, & Benedictus, ac patentibus hujus Basilicæ valvis, ubi Concilium inibatur, lecta è suggestu sententia fuit contra eosdem, uti contra notorios, & pertinaces schismaticos, & hæreticos; ac demum post missam solemnem sess. 19. Petrum Philargi, seu Philareti presbyterum Cardinalem titulo 12. Apostolorum, natione Græcum, patriâ Cretensem ad Apostolicum solium, ubi Alexandri V. nomen suscepit, promoverunt. Hujus Concilii acta, prout referunt præmemorati Philippus Labbeus, Gabriel Cossartius tom. XI. Concil. par. 2. col. mihi 2114. hæc sunt.

Copia epistolæ convocationis Concilii Pisani, quæ dirigitur Domino Benedicto XIII.

Sanctissimo domino nostro Benedicto XIII. miseratione Divina Summo Pontifici, Deo humiles & devoti oratores, Episcopi, Præsbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales, nunc in Liburno Pisanæ diœcesis existentes, pro nobis & aliis reverendissimis patribus Dominis Cardinalibus pro nunc absentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, cum supplici & devota recommendatione utriusque hominis sospitatem.

Qualiter hoc schisma pestiferum, totius corporis Ecclesiæ infectivum, unitatem lacerans, & enervans caritatem, Clerum involvens tortuosis laqueis, & populum subvertens, ab erroribus quamplurimis Ecclesiæ fidem tangentibus intromissis ortum habuit, & diuturnitatem adeo nocivam, vestræ sanctitati notum esse non dubitamus. Hæc enim in suo exordio modica visa erroris scintilla, cui cum per deliberationem Concilii, ut Sanctorum Patrum moris fuit, non extitit obviatum, sed duro proposito, via Concilii repulsa, fomenta adhibita per inordinatos, & perniciosos affectus, in quibus quærentes homines quę sua sunt, non quæ Christi, adeo in flammam proximam exaltavit, mundum percurrit universum, concutit clerum, subvertit populum, fidem maculat, sacramenta profanat, & Ecclesiasticæ censurę contemptum inducit, Ecclesiæ libertatem omnino extinguit, & indevotos reddit Christi charactere insignitos, ut vix dignosci valeat quis existat catholicus, cum plures appareant Legis Divinæ transgressores, & mandatorum Dei manifestissimi contemptores. Et si hæc .... nullatenus tolleranda, quid ait vulgus de his qui bases & columnæ videntur Ecclesiæ, qui horum malorum & tantorum scelerum dissimulatores esse videntur, dividentes Clerum ac populum, & versi in laqueum tortuosum, ubique ponunt scandalum in suarum & fere omnium perniciem animarum. Nihil aliud ajunt dici posse, nisi quod tanta scelera contra Deum, ortho-

A doxam fidem, & sanctum Spiritum, animæ pertinaci commissa, inexpiabilia, teste scriptura, etiam sacrificii reputentur: si Heli peccatum longe levius, ut sacra refert historia, inexplicabile fuit piaculum & delictum. Hæc enim Pater sancte, ruina tam horribilis, tamque exosa in Divinæ majestatis conspectu, ut habet communis existimatio, in manu nostra ludibriis plena, & utinam non blasphemiis infecta, in nostri reprobatione consistit, qui cum ex debito debemus
B & tenemur, ut præmissa tollerentur de medio, nostros indefessos adhibuisse labores, nostra quæcumque exponere, etiam titulos dignitatum, animas nostras, & ultronee bibere calicem passionis, ambulatum est per devia, & non plana, & velut cæci palpantes clausos parietes, aperta, lataque & plana janua rejecta est, velut spinosis aculeis & venenosis jaculis, & juxta affectionem in conspectu Altissimi & hominum judicio communi, voluntariam & non sanam, fulcitam magnis periculis latet, in illis consistit summa se-
C curitas & hominum, conscientiarumque indubia sinceritas, ex quibus longo tempore declinata fuit cessionis via, in ingressu planæ januæ consistebat solitaria, cum Dei gravi offensa innumerisque periculis animarum. Et quamvis ex post exactis annorum curriculis fuit hæc via sancta & necessaria, & communi omnium fidelium judicio præelecta cum Angelo Corario, Gregorio nominato, per Sanctitatem vestram recepta & etiam approbata: tot tamen & tantæ in illius habentur desiderata excutione adhibitæ difficultates, varia-
D tiones, dilationes ac repudia, circa locorum electionem & securitates hinc inde, quod nullus effectus secutus est, nec aliunde speratur modo aliquo proventurus, sed quodam recessu perpetuo in dicto pacis tractatu, immo verius repudio perenni, abusus in viam longinquam, nunquam ad Agni nuptias per unitatis vinculum, ut a multis creditur, intraturi. Sed mala sub brevi compendio considerantes provide, ac pia mentis consideratione pensantes, Reverendissimi Patres nominati in parte alia Cardinales a dicto Angelo Corario, Gregorio nominato, ad omnem viam habendæ unionis plus quam describi possit,

mente & proposito indurato recesserunt, juxta Divina mandata, ad quos de vestræ Sanctitatis permissu, & voluntate expressa quatuor ex nobis delecti fuerunt, & convenientibus in Liburnum, cum quatuor ex ejus Cardinalibus nominatis: & demum nos omnes & ipsi in unum convenientes, prospeximus communi, & concordi voto, & matura habita deliberatione cum multis notabilibus prælatis & quamplurimis litteratis viri Deum timentibus & pacem Ecclesiæ habentibus in fervore caritatis, fore necessarium, ut per Ecclesiam universalem congregatam huic tam pestilenti morbo & inveterato laqueo, erroribus fidem tangentibus pleno, subveniatur & occurratur in brevi, ad servandas omnium fidelium conscientias, errores submovendos notorios, virtutes inserendas, animorum & ecclesiæ reformationem debitam & salubrem: & quod per nos in nostra obedientia, & alios nominatos cardinales in sua, prælati, & alii qui vocandi fuerint, convocentur per nos in civitate Pisana, & per illos in eadem ad terminum 25. diei mensis Martii proxime futuri. Et hunc modum convocationis communi assensu assumpsimus propter neutrales, & illos qui de obedientia dicti Angeli ad vestram & dicti Angeli convocationem nullatenus venirent, & propter defectus alias habitos in convocatione concilii, de quo sæpissime & diversis decursis temporum intervallis fuit per nos vestra sanctitas requisita, & eidem humiliter supplicatum & alteri promissum, sed nullatenus adimpletum. Et ut omnis adhibeatur cautela, ex superabundanti vobis tenore præsentium supplicamus, & instanter requirimus, quatenus quantum in vobis est, dictæ convocationi præbeatis assensum & opem, & quod vestræ sanctitati placeat in dicto loco & termino personaliter interesse, & in dicto concilio convenire, in quo nobis procurantibus plena & sufficiens securitas præstabitur in veniendo, stando, & recedendo, & de qua ante dictum terminum congruo reservato intervallo, sanctitatem vestram certificare curabimus; & & nos; seu nostrorum major pars, eamdem sanctitatem vestram humiliter commemorare, cum omni honorificentia quę summo debetur pontifice, & honorifice tractare, ad conservationem unitatis & pacis, & post ipsius exitum felicem. Hæc enim convocatio ad locum & terminum antedictos nullo valet colore difficultari, impediri, seu quocumque conficto pallio differri, declinari seu mutari: cum etsi in sanctitate vestra corporalis infirmitas vel aliud occurreret impedimentum, seu alias absentiæ justa causa, possit & debeat, de quo vos solemniter requirimus, & alias fuit per nos consultum, hoc Dei tam necessarium negotium quoad illa quæ per vos facienda existunt, per deputatum â vobis quoad omnia necessaria, vel expedientia præambula sufficientem autoritatem habentem perfici, & procuratore sufficienti & spirituali mandato, ac irrevocabili monitum, cessio pro parte vestra fieri, Angelo nominato Gregorio cedente in propria persona, vel per procuratorem similem potestatem habentem, & irrevocabile & speciale mandatum, vel ipso sublato de medio, vel canonice per Ecclesiam ejecto.

Quod si dictæ convocationi opem & assensum præstare refugeritis, & in loco & termino antedictis convenire, vel deputatum procuratorem, ut præmittitur, destinare (cum extra terminos Italiæ nequeant partes, seu ipsarum altera ad conservationem unitatis habendæ, multis consideratis, ita commode & utiliter convenire, attento quod per concilia particularia, si divisim & in locis divisis longa distantia separatis tenerentur, schisma extirpari non posset:) nos, & alii qui ad vocationem nostram venerint, procedemus in negotio unionis habendæ, & schismatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione, cum collegio Cardinalium partis alterius, ac cum consilio vocatorum per nos & ipsos, attentis præmissis juratis & conventis per sanctitatem vestram & dictum Angelum, ut dictaverit Spiritus Sancti gratia, & alias fuit per sanctos patres in Romana Ecclesia salubriter observatum, vestra aut dicti Angeli, seu alterius absentia non obstante. Suppliciter viribus iteratis exhortantes sanctitatem vestram in Domino, & per viscera misericordiæ Jesu Christi, qui ecclesiam suam fundavit pretioso sanguine, unam-

unamque esse voluit, ac in unitate spiritus permansuram, sine qua & extra quam non est salus, quatenus convocationi jam dictæ in loco & termino antedictis fiendæ opem & auxilium, ut decet zelatorem domus Dei, adhibere velitis. Ad quem, sicuti de jure possumus, super prædictis vos provocamus ad causam: quia si, quod absit, nolueritis, aut impedimenta præstiteritis dictæ convocationi & ad illam venientibus, ac nobis qui ad illam tendimus, eamque modis canonicis procuravimus: talia ad impedimentum unionis Ecclesiæ, & ipsius schismatis perpetuationem censerentur lucis clarius pertinere, cum ad veritatem contra falsitatem fuerit collata potestas, & ad ædificationem, non autem ad destructionem. Et si, quod absit, vellet Sanctitas vestra impedimenta præstare, cum nihil sit per quod fiendæ unitati, ad quam tendimus, posset per potestatem aliquam juste fieri, cum in hoc prosequamur voluntatem Divinam: Ecclesia, cujus unitati claves à Christo concessæ sunt, talia non pateretur sub dissimulatione transire. Et circa præmissa vestram intentionem, vestrumque propositum, & quod in præmissis agere intenditis, præsentialiter nobis notificare dignemini, ut proinde certitudine habita, providere valeamus quantum in nobis erit, circa vestram securitatem, & libertatem, & alia necessaria, & ad tantum negotium opportuna. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras per notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandavimus, ac nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri. Datum & actum in loco Liburni supradicto, in clauso Ecclesiæ dicti loci, nobis ibidem tunc Guidone Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculanensi, episcopis, Petro tituli sanctæ Susannæ presbytero, Amedeo sanctæ Marię novæ, & Petro Sancti Angeli, Diaconis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus congregatis & personaliter constitutis, ac omnia & singula suprascripta pro nobis, & aliis dominis Cardinalibus absentibus, nobis adhærentibus volentibus in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmissis, & eorum singulis unum vel plura publica instrumenta nobis, & cuilibet nostrum fieri petentibus, sub anno à Nativitate Domini 1408. indictione 1. & die 14. mensis Julii, præsentibus reverendis in Christo patribus & dominis Dei gratia Simeone Patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo Ecclesiæ Carcassonensis, Petro episcopo Meldensi, ac venerabilibus & circumspectis viris magistris Roberto de Quesnejo doctore, Joanne Francisci licentiato in decretis, Joanne Petri magistro in medicina, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, sic subscriptis & signatis.

Et ego Joannes Desmarquais de Monte acuto, clericus Laudunensis diœcesis, & imperiali autoritate notarius, præmissis omnibus & singlis suprascriptis, dum per reverendissimos in Christo partes, dominos supradictos Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales ratificarentur & approbarentur, una cum prænominatis testibus præsens fui, & de præcepto eorumdem dominorum cardinalium præsentes litteras per alium scriptas, una cum trium priorum collegii dictorum dominorum Cardinalium, de mandato & requisitione aliorum tunc dominorum Cardinalium supradictorum, eisdem dominis prioribus factis super hoc, sigillorum appensione, me hic propria manu subscribenda signo meo consueto signavi, in fidem & testimonium omnium & singulorum prçmissorum.

De Marchias de Monte acuto.

ACTA CONCILII PISANI.

SESSIO I.

IN nomine Domine, amen. Anno à nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo nono, more Romano, indictione secunda, die vicesima quinta mensis Martii, inchoatum fuit generale concilium, sive sancta synodus, & celebratum in civitate Pisana, in quo erant plures Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, abbates, sacræ theologiæ magistri, & utriusque juris doctores, & licentiati nobiles, procuratoresque plurium absentium prælatorum: in quo quidem cōcilio processum extitit per hunc modum.

Primo, fuerunt factæ processiones solemnes, & postmodum in ecclesia cathedra-

drali dictæ civitatis fuit Missa devotissime per dominum cardinalem à Thurego celebrata, & sermo factus per unum alium cardinalem, scilicet Mediolanensem. Missa vero celebrata, cantatæ fuerunt antiphonæ, & certæ orationes dictæ: & postmodum diaconus alta voce dixit: Orate. Tunc flexis genibus & inclinato capite, omnes oraverunt submissa voce mitris positis: deinde diaconus & subdiaconus cantaverunt alta voce litanias, & omnes responderunt. Quibus finitis, unus cardinalis episcopus dixit certas orationes ad propositum unionis: quibus completis, quidam cardinalis diaconus legit evangelium. Quo lecto, unus episcopus cardinalis incepit hymnum, Veni creator spiritus. Quo finito, duo Cardinales diaconi, duo Archiepiscopi, & duo episcopi, cum pluribus doctoribus & notariis, & ordinatione concilii & mandato, se transtulerunt ad valvas ecclesiæ, & alta voce proclamaverunt, an Petrus de Luna & Angelus de Cozario, qui Benedictus & Gregorius dicebantur, de papatu contendentes, essent hic præsentes, aut aliquis pro ipsis. Quibus non repertis, nec aliquo pro ipsis, ad ecclesiam redierunt, & in pleno concilio relationem fecerunt; Qua relatione sic facta, sacrum concilium certos ordinavit & constituit promotores, seu procuratores, nomine Ecclesiæ universalis, ad agendum, petendum & faciendum omnia necessaria, commoda & opportuna, pro schismatis extirpatione, contra prædictos dominos contendentes, immo verius colludentes de papatu, & pro sancta unione in Ecclesia Dei habenda, prout in forma, &c. Ordinatique sunt advocati & notarii pro ista causa deducenda. Quibus factis, procuratores prædicti accusaverunt contumaciam dictorum contendentium de papatu, & petierunt eos reputari contumaces in materia schismatis & fidei, ac contumacia & defectu poni. Et fecerunt legi citationes & provocationes dictorum contendentium, & relationes executorum, &c. Quibus non obstantibus, concilium sacrum de benignitate ordinavit expectandum usque ad aliam sessionem, quæ fuit ordinata ad vigesimam sextam diem dicti mensis Martii.

Sessio II.

Qua die adveniente, celebrata Missa, & servatis solemnitatibus ut supra, dicti contendentes fuerunt evocati ad valvas Ecclesiæ, modo quo supra in media sessione. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro ipsis, fuit ut supra contumacia accusata. Nihilo minus concilium sacrum iterum de benignitate dixit eos expectandos usque ad penultimam diem dicti mensis Martii, ad quam diem ordinavit proximam sessionem: qua die, videlicet trigesima Martii adveniente, fuit processum ut sequitur.

Sessio III.

Declaratio & decretum latum contra duos contendentes de papatu ob contumaciam ipsorum in causa fidei & schismatis contumaciæ, prolata ex ore domini Prænestini Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinalis, Pictaviensis vulgariter nuncupati, ex commissione totius concilii & assensu unanimi.

Universis & singulis, sacra mandante „ synodo, tenore præsentium intimatur, „ quod hac die Sabbati penultima hujus „ mensis Martii, in ecclesia cathedrali Pi- „ sana, celebrata devote, & solenniter Mis- „ sa pro unione sacrosanctæ Ecclesiæ or- „ dinata, dictis in cantu litaniis, & devo- „ tis orationibus, ac expletis aliis in tali- „ bus consuetis; auditis quibusdam pro- „ positionibus & petitionibus deputato- „ rum advocatorum, & procuratorum sa- „ crosanctæ Romanæ Ecclesiæ, iniquis de „ papatu contendentium ausibus, laces- „ sentium, lacessitorum; proh dolor! im- „ mo diutissime; per quas recensito, quod „ attenta contumacia infra scriptorum de „ papatu contendentium, proxime lap- „ sorum, in processu hujus causæ descrip- „ ta; petitum extitit, eosdem conten- „ dentes, etiam Cardinales eis adhæren- „ tes, & alios ad hujusmodi concilium le- „ gitime evocatos, reputari, decerni, & „ declarari contumaces, jam bis, & nunc „ tertio, prerogata seu continuata dies in- „ stat, in qua contendentes ipsi, & car- „ dinales ipsis adhęrentes, cæterique vocati „ comparere tenentur, accusatque legitime. „

Tandem ipsa die contumacia prædi- „

„ctorum contendentium, & petito eos „contumaces reputari, decerni, & declarari, ipsa sancta synodus, seu hoc sacrosanctum generale concilium ante dictum, præfatis contendentibus, & aliis legitime, ut ex processu constat, „ad valvas Ecclesiæ vocatis, aliisque „servatis servandis, unanimi consensu vocatorum supradictorum contendentium, & aliorum contumaciam reputavit, decrevit & declaravit per organum domini Cardinalis Pictaviensis, ut „in schedula continebatur, cujus tenor sequitur, & est talis.

„ Sancta synodus, seu hoc sacrum generale concilium, dominos Petrum de „Luna, Benedictum XIII. & Angelum „Corarium, Gregorium XII. nuncupatos, „de papatu contendentes, & quantum „in eis est, Ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos & proclamatos in causa schismatis „& fidei hoc præsens sacrum & generale „concilium & omnia in eo agenda, non „venientes, seu non comparentes legitime per se, nec per alios, nec termino statuto satisfacientes, licet expectatos post „terminum per duas sessiones, reputat, „decernit & declarat in causa schismatis & „fidei contumaces, ponitque in contumacia & defectu, & ordinat in eorum „contumacia debere ad ulteriora procedi „& procedendum fore: ordinans sessionem aliã fieri die Lunæ post Dominicam „in albis, quæ erit 15. die mensis Aprilis. „Ad quam diem ordinat præsens generale „concilium, dominum Card. Tudertinum, „domino Gregorio adhærentem, & dominos Joannem Sabinensem episcopum, „Sancti Hadriani, sanctæ Mariæ in via „lata, de Flisco, & de Chalanco, vulgariter nuncupatos, Sanctæ Romanæ „Ecclesiæ Cardinales domino Benedicto „adhærentes, de benignitate expectandos fore cum intimatione. Quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini Cardinales, non comparuerint in „dicto termino, ad ulteriora procedetur, „eorum contumacia nonobstante: ordinavit nihilo minus presentem ordinationem in valvis cathedralis Ecclesiæ affigi „publice, ut de præmissis non valeant „ignorantiam allegare.

Sessio IV.

Qua die Lunæ decimaquinta mensis Aprilis adveniente, Missa ibidem celebrata, & aliis quæ ad Divinum cultum spectant, ut moris est in concilio generali, ut supra declaratum est, comparuerunt ambassiatores Ruperti de Baviera S. sedis imperatoriæ electoris, qui palam publice proposuerunt pro impugnando convocationem contendentium: secundo subtractionem factam per Cardinales suæ obedientiæ: tertio unionem collegiorum, &c. Quibus auditis, fuit eis dies assignata ad audiendum responsionem super propositis ad vigesimum quartum diem dicti mensis Aprilis: fuitque his non obstantibus processus continuatus, ut supra, vocando ad valvas Ecclesiæ, si duo contendentes, aut eorum alter, vel aliquis pro eis esset in hac præsenti civitate Pisana, ut supra. Quibus non apparentibus, fuerunt reputati contumaces, ut supra, continuando sessionem aliam, ac diem Mercurii vigesimam quartam prædictam: quo termino pendente, præfati ambassiatores Imperatoris secunda die recesserunt illicentiati, & hospite non salutato.

Sessio V.

Dicta die Mercurii vigesima quarta mensis Aprilis adveniente, Missa & solemnitatibus servatis, fuit accusata contumacia dictorum contendentium, ut supra: fecitque promotor seu procurator Ecclesiæ universalis proponi certos articulos contra ambos contendentes, concludentes plura ad propositum unionis, & contra dictos contendentes; & requirebat quod darentur commissarii, licet perpetrata essent notoria pro informatione majori. Tunc fuit dies assignata, ad hoc pro alia sessione, scilicet ad ultimam diem Aprilis.

Sessio VI.

Qua adveniente comparuerunt Anglici, & proposuit episcopus Salberiensis solemniter dicens pro themate: *Justitia & judicium præparatio sedis tuæ*: concludens quod

quod habebat à rege & regno Angliæ potestatem magnam ad omnia necessaria in hoc sacro concilio rationabiliter tractanda. Et postmodum fuit dies assignata pro alia sessione, ad diem Sabbati, quartam mensis maii proxime futuram,

Sessio VII.

Dicta die Sabbati adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis præmissis, quidam doctor Bononiensis Petrus de Ancharano dictus, solemniter respondit ad proposita per ambassiatores dicti Ruperti de Bavaria, licet absentes, & satis expectatos, ostendendo clare, quod proposita per eos erant manifeste frivola & nullius efficaciæ, fundendo clare intentionem concilii, & quod ambassiatores tendebant ad impedimentum sanctæ unionis. Et postmodum fuerunt dati per concilium commissarii & nominati pro examinandis testibus super propositis per procuratorem seu procuratores concilii, & ad recipiendum instrumenta & probationes &c. etiam in absentia & contumacia dictorum contendentium. Et ista die dominus Episcopus. Ebroicensis celebravit Missam in majori ecclesia in præsentia sacræ synodi: & fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad regem Ladislaum, pro mitigandu eum, &c. fuitque dies assignata ad diem Veneris proximam, scilicet decimam diem mensis Maii prædicti, pro alia sessione.

Sessio VIII.

Qua die adveniente, servatis solemnitatibus, & ceremoniis, ut supra, dictum est pro parte procuratoris universalis Ecclesiæ, & fuit requisitum, quatenus concilium sacrum vellet determinare & sententiare, &c. unionem duorum collegiorum factam, fuisse & esse legitime factam, & facere unum collegium, ratificare, approbare & confirmare; convocationemque sacri concilii per eos factam, fuisse & esse juridice & legitime factam in loco habili, tuto & securo, ipsamque congregationem esse & repræsentare concilium universalis Ecclesiæ: ad ipsumque concilium spectare & pertinere cognitionem, definitionem & decisionem omnimodam causæ unionis Ecclesiæ, & schismatis sedandi contra duos contendentes de papatu, Ecclesiam Dei detinentes in schismate notorie, cum omnibus pertinentiis, emergentibus, & connexis. Et fuit petitum, si placeret omnibus. Et cum magna pars respondisset, quod placebat quod ita fieret: duo episcopi quoad primam conclusionem contradixerunt, videlicet Salisberiensis & Ebroicensis, dicentes quod non poterat fieri unio duorum collegiorum, quamdiu Cardinales Benedicti sibi obedirent, prout faciebant, aliis non obedientibus Gregorio XII. sed solum Deo & Ecclesiæ: quia turpis est pars, quæ non congruit suo universo. Et ita erat necesse, quod domini Cardinales se subtraherent, ut esset unio uniformiter obedientium & obedentiarum, *& multitudinem credentium esset cor unum & anima una*. Quibus auditis, fuerunt multa hinc inde prolocuta. Et tandem procurator prædictus ascendit pulpitum, & requisivit, quod sancta synodus (attenta pertinacia & contumacia dictorum duorum contendentium de papatu in materia schismatis & fidei, & quod notorie Ecclesiam Dei detinerent in schismate contra ejus voluntatem, & violenter contra eorum juramenta & vota, ac debitum pastoralis officii, & de eorum manifesta collusione satis constet) vellet & dignaretur pronunciare & declarare, a tempore quo constitit eos non habere vel non habuisse voluntatem uniendi ecclesiam per viam juratam, et pro tanto bono per ecclesiam electam, quemlibet potuisse et debere recedere ab amborum obedientia, nec ulterius amplius debere eis obedire. Et petiit si hoc placeret omnibus: et responsum fuit jocose, quod sic, excepto quodam episcopo Anglico, et uno Alemano; et nihilo minus conclusum fuit ut petebat dictus procurator. Et postmodum dominus patriarcha Alexandrinus, cum episcopo Salisberiensis ascendit cathedram, et infra scriptis pronunciavit sententiam autoritate concilii petitioni conformem: et de omnibus conclusionibus procurator Ecclesiæ petiit fieri instrumentum ad perpetuam rei memoriam. Et fuit alia dilatio concessa ad examinandum testes ad octavam diem, sessione ad eamdem

dem diem assignata, ad procedendum ulterius prout de jure.

Sessio IX.

Die Veneris decima septima prædicti mensis Maii adveniente, celebrata Missa, solemnitatibus & cæremoniis servatis, procurator ecclesiæ ascendit pulpitum, & fecit requiri alta voce per Advocatum, quod subtractio in præcedenti sessione facta declaretur, quoniam aliqui murmurabant. Et fuit de consensu omnium in concilio existentium pronunciatum per os domini Patriarchæ Alexandrini licuisse se subtrahere ab obedientia amborum contendentium de papatu, a tempore quo, &c.

Item, quod a cunctis Christi fidelibus erat obedientia subtrahenda, & ab omnibus pro subtracta habenda: & ita mandabat synodus.

Item revocatæ fuerunt sententiæ latæ per contendentes contra subtrahentes.

Item ordinatum fuit, quod illi qui erant in concilio judices, vel conjudices poterant esse testes contra contendentes.

Item quod commissarii possent articulos declarare.

Item decernit tertiam dilationem ad producendum testes, &c. & ad ulteriora procedendum fore, prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire. Diem Mercurii proximam, quæ erit vigesima tertia mensis Maii, ad quam diem statuit & ordinavit proximam sessionem, prout in quadam schedula ibidem lecta continebatur, cujus tenor sequitur in hunc modum: Sancta & universalis Synodus hic in Christi nomine congregata, declarat, pronunciat, & decernit, ex justis & rationabilibus causis, a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & ab Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentibus de papatu, & ab ipsorum cujuslibet obedientia, licuisse recedere libere & pure; videlicet à præfato Benedicto, ex tempore quo viam cessionis per eum solemniter juratam realiter persequi, & eam effectualiter adimplere damnabiliter omisit; & a præfato Gregorio, ex eo tempore quo viam cessionis per eum solemniter juratam, voto promissam & firmatam, realiter persequi & effectualiter adimplere, damnabiliter prætermisit. Insuper sancta synodus, ex causis quibus supra, pronunciavit, statuit, ordinavit, & decrevit, præfatos contendentes de papatu, ac ipsorum quemlibet, qui canonice requisiti & vocati in præsenti causa schismatis & fidei fuerunt celebrati legitime, contumaces fore, a cunctis Christi fidelibus omnimode obedientiam subtrahendam, & ex nunc ut antea ab omnibus pro subtractam haberi. Et ita observandum decernit, pronunciat atque mandat.

Processus autem & sententias condemnationum, privationum, inhibitionem, & censuras quascumque, per eosdem contendentes de papatu, aut ipsorum alterum, in præjudicium prosecutionis unionis, contra subtractos, & in posterum subtrahendos, factos, & in futurum fiendos, hæc sancta synodus decernit & declarat cassos existere, ac nullius roboris vel momenti, & eos cassat & annullat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procedent.

Item, eadem sancta synodus in favorem fidei, & schismatis extirpationem, ac pro ecclesia lacerata unienda & pacificanda, decernit, pronunciat & declarat, omnes cujusque status, &c. etiam si Cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt & possunt esse judices seu conjudices, similiter esse posse legitimos testes, eorumque testimonio & depositioni fidem esse indubiam adhibendam.

Item, cum propter adversitatem, & prolixitatem articulorum in præsenti causa productorum, posset testium examinatio dispendio protelari: propterea sancta synodus decernit, pronunciat, & declarat, quod domini commissarii, seu examinatores ad hæc per sanctam synodum deputati, possint dictos articulos declarare, & specificare, ac in eis addere, detrahere, & mutare, ac interrogatoria facere, prout utilitati, & accelerationi causæ videbunt expedire.

Et ex prædictis causa cognita & deliberata, dat statuit, & decernit tertiam dilationem ad probandos & producendos testes, & ad ulteriora procedendum, (prout eidem sanctæ synodo videbitur expedire) diem Mercurii proximam, quæ erit dies vigesima secunda hujus mensis, ad quam

diem

diem statuit & ordinat proximam sessionem, pronunciationem per patriarcham Alexandrinum, die vigesima septima dicti mensi Maii 1409. in sacro concilio generali Pisis celebrato.

SESSIO X.

Die Mercurii adveniente, quæ fuit vigesima secunda mensis Maii, celebrata Missa, & illis quæ ad Divinum officium spectant, procurator ecclesiæ fecit per Advocatum proponi, quod domini Cardinales Laudensis & sancti Angeli senior, & alii prælati, & domini dati commissarii ad examinandos testes, & recipiendas probationes, & instrumenta contra duos improbe contendentes de papatu, testes audiverant, & in scriptis redigi fecerant per notarios ordinatos per concilium, aliasque probationes & instrumenta ad causam facientia receperunt, erantque parati legitimam facere relationem per unum ex ipsis prælatis commissariis, videlicet per organum Domini archiepiscopi Pisani, si concilio placeret. Et respondit concilium, placet. Quo facto dictus Advocatus nomine quo supra, petiit & requisivit, quatenus dicti contendentes essent vocati ad hanc diem, ad audiendum testium publicationem; & quod domini cardinales cum aliquibus prælatis & aliis more solito irent ad fores Ecclesię, & eos vocarent, si essent præsentes, vel aliquis pro ipsis: & de hoc fecerunt relationem in pleno concilio, quod sacro concilio placuit. Et tunc domini Cardinales de Columna,& sancti Angeli, cum aliis pluribus prælatis & doctoribus ac notariis, iverunt ad valvas ecclesiæ, & alta voce petierunt, an contendentes de papatu, vel eorum alter, aut etiam aliquis pro eis adesset. Quibus sic factis, ad concilium redeuntes, retulerunt, nec contendentes adfuisse, nec aliquem pro eis comparuisse. Qua de causa, quoad istum actum, per concilium fuerunt reputati contumaces: & fuit conclusum, quod erat ulterius procedendum ad relationem & publicationem, eorum contumacia non obstante. Et statim dictus archiepiscopus Pisanus cum uno notario sacri concilii ascendit pulpitum, in quo proposuit, quod de mandato dominorum commissariorum suorum collegarum erat ordinatus ad faciendam relationem & publicationem sub tali forma: Quod dictus notarius speciatim legeret singulos articulos, alias datos & lectos in pleno concilio, contra dictos, contendentes, ita quod super quolibet articulo seorsim & separatim dictus Dominus archiepiscopus Pisanus adaptaret testes super articulos productos, designando numerum & qualitates, status, gradus, dignitates & præeminentias singulorum testium: & ita factum est. Et quia dictus notarius hac die legit articulos usque ad numerum viginti, & in quolibet articulo faciebat pausam; & postmodum archiepiscopus Pisanus dicebat sic: Iste articulus est probatus tamquam verus, manifestus & notorius, per quindecim testes, quorum quatuor sunt Cardinales, unus Patriarcha, quinque Episcopi, & quatuor Doctores, & unus licentiatus in decretis: & quandoque dicebat, quod articulus erat probatus per decem, aliquando per viginti duo, aliquando per viginti quinque, aliquando per duodecim, aliquando plus, aliquando minus. Ita tamen quod non fuit articulus quin esset probatus verus ad minus per quinque testes omni exceptione majores. Et quia tunc erat tarde, concilium continuavit dictum actum, ad procedendum ulterius, & consequenter in negotio præsenti ad primam diem, quæ erat vigesima tertia mensis Maii.

SESSIO XI.

Die vigesima tertia Maii adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis consuetis, notarius qui de prædictis articulis viginti legerat, continuando materiam, legere cœpit articulos sequentes usque ad numerum triginta septem inclusive: & postmodum legit quoque alios paucos articulos, & in continenti archiepiscopus Pisanus, ad quemlibet articulum adaptabat probationes, eo modo quo dictum est in præsenti sessione. Quibus completis, Advocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit, ut sequitur.

Reverendissimi in Christo patres, au- „ divistis sufficienter, & plenam relatio- „ nem heri & hodie factam hic in vestrum „ & totius sanctæ synodi præsentia recita- „

tam

„tam per reverendissimum patrem domi„num archiepiscopum Pisanum, de man„dato & autoritate reverendissimorum „dominorum Cardinalium Laudens. & „sancti Angeli, ac dominorum prælato„rum & aliorum commissariorum exami„natorum in præsenti causa, per hanc san„ctam synodum deputatorum. Et quia „ex eorum authentica & sufficienti rela„tione clare constat, omnia & singula „quæcumque proposita & producta con„tra dictos contendentes, immo verius „colludentes de papatu, esse vera, publi„ca, notoria & manifesta, ita quod non „possint aliqua tergiversatione celari: prop„terea peto, supplico & requiro, nomine „& pro parte procuratorum & promoto„rum, ad prosecutionem causæ præsentis, „per hanc sanctam synodum pronunciari, „decerni & declarari, omnia & singula „in dicta petitione contenta esse vera, pu„blica, notoria & manifesta; & super his „tamquam veris, probatis sufficienter pu„blicis, notoriis & manifestis, ad ulte„riora procedere, prout tam magnæ ne„cessitati ecclesiæ, & pertinaciæ, contu„maciæ & obstinationi dictorum B. & A. „hæc sancta synodus videbit expedire. „Auditis sancta synodus petiit delibera„tionem concilii, & fecit pronunciari per „dominum archiepiscopum Pisanum in „hunc modum.

Sancta synodus audita tali relatione, sta„tuit terminum ad deliberandum & au„diendum determinationem dicti concilii „super prædictis petitis & requisitis, ad „diem Sabbati, quæ erit vigesima quinta „præsentis mensis Maii, & ad ulteriora „procedendum, prout sanctæ synodo vi„debitur, ad quam diem statuit proxi„mam sessionem.

Sessio XII.

Qua die adveniente, servatis solemnitatibus & cæremoniis, ut supra, advocatus ecclesiæ ascendens pulpitum, supplicavit, petiit & requisivit nomine quo supra, pronunciari super notorio, prout alias latius in ultima sessione petierat & requisierat: & petitum fuit ab omnibus in concilio præsentibus, si placeret: qui omnes & singuli responderunt, placet. Quo facto patriarcha Alexandrinus, de voluntate & assensu concilii, ascendit pulpitum, & pronunciavit ut in schedula continebatur, cujus tenor sequitur, & est talis.

Sancta synodus, attenta eorum de„ quibus agitur notorietate, denique per„ evidentiam depositionum testium, &„ alia documenta, legitime constat; ha„ bitaque super his deliberatione matura,„ decernit, pronunciat & declarat, deli„ cta omnia & excessus, ac alia ad decisio„ nem necessaria in petitione præsentis cau„ sæ deducta contra dictos Benedictum &„ Gregorium de papatu contendentes, per„ promotores seu procuratores per hanc„ sanctam synodum deputatos fuisse & esse„ notoria, & tanquam super notoriis, fuis„ se & esse ad ulteriora procedendum; &„ tamquam in causa, in qua imminet scan„ dalum, & periculum est notorium in„ mora. De qua quidem pronunciatione„ dicti procuratores petierunt instrumen„ tum unum, vel plura, ad perpetuam„ rei memoriam, a pronotariis & aliis no„ tariis ibidem præsentibus. „

Quibus ita expeditis, fuit per dictum concilium revocata potestas commissariorum, antea data ad examinandum testes: fuitque super hoc data potestas per concilium, de eligendo & mittendo nuncios & legatos idoneos ad dominum Lucanum, et ad Senensem, pro facto ecclesiæ. Et insuper fuit dies assignata, proxima sessione ad diem Mercurii proximam, quæ erit 29. mensis Maii, ad deliberandum de citatione contra contendentes faciendam, pro audiendo sententiam definitivam, et etiam pro ordinando de die ferendi dictam sententiam, et agendi ad procedendum ulterius, prout sacro concilio videbitur, et fuerit expediens. Et sic dictum concilium recessit.

Sessio XIII.

Die Mercurii vigesima nona dicti mensis Maii adveniente, servatis solemnitatibus et cæremoniis ut supra, quidam valentissimus magister in theologia, vocatus, magister Petrus Plaoul, ascendit pulpitum, et proposuit verbum Dei, videlicet: *Congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter: & ponent sibimet caput unum*. Oseæ 1. in fine

et deduxit pulchre exaltando eccleſiam, et aſſerendo eam eſſe ſupra papam: quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum; quam ex parte formæ, quæ eſt Spiritus ſanctus; quam etiam ex parte cauſæ efficientis; quæ eſt ipſe Chriſtus; quam etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in eccleſia triumphante. Et poſtmodum poſuit opinionem univerſitatis Pariſienſis, videlicet quod Petrus de Luna eſt ſchiſmaticus, pertinax, et hæreticus, etiam accipiendo hæreſin proprie et ſtricte: præciſuſque ab Eccleſia Dei, ejectus à jure papatus, et privatus, ac per concilium de facto tamquam talis ejiciendus et privandus. Et hæc declaravit pluribus rationibus, et ſubjunxit, quod de eadem opinione erant univerſitates Andegavenſis, Aurelianenſis, et Tolosanenſis. Ipſo autem deſcendente de cathedra, aſcendit quidam epiſcopus Italicus, qui opinionem centum et trium magiſtrorum in theologia, et plurium licentiatorum, et baccalaureorum formatorum, ac univerſitatis Bononienſis, in quadam ſchedula publicavit, quæ eſt conformis opinioni univerſitatis Pariſienſis.

Poſtmodum autem advocatus Eccleſiæ aſcendit pulpitum, et petiit diem aſſignari ad ſententiam definitivam ferendam, et etiam citationem peremptoriam, decerni per edictum ad valvas Eccleſiæ cathedralis civitatis Piſanæ et loca inſignia, contra dictos contendentes de papatu: quam diem petiit aſſignari Mercurii proxima, quę erit quinta dies menſis Junii proxime futuri; et quod illa die fieret una ſeſſio. Requiſivit inſuper, quod pendente dilatione, medio tempore, videlicet die Sabbati proxima, quæ erit prima menſis Junii, fieret una ſeſſio ad audiendum publicari certas atteſtationes ſuper novis et antiquis de novo receptis, ex abundanti cautela, contra dictos duos contendentes: ſuper quibus omnibus petiit a ſacro concilio, an placeret: Omnes autem de concilio reſponderunt, placet. Super quibus omnibus petitis et requiſitis per epiſcopum, tam de die ſententiæ ferendæ, quam etiam de citatione et ſeſſione media: de quibus petierunt procuratores inſtrumentum ad perpetuam rei memoriam: et ſic concilium receſſit. Die autem Sabbati adveniente, quæ fuit prima menſis Junii dicti anni 1409. congregato concilio in eccleſia cathedrali Piſana, et ſervatis ſolemnitatibus et cęremoniis cōſuetis, ac nonnullis orationibus ad factum unionis Eccleſiæ dictis, dominus Archiepiſcopus Piſanus aſcendit pulpitum. Et quia aliqui volētes plus ſapere quam ſapere oportet, non fuerunt ad plenum contenti de relatione alias per eum facta, tum quia multi non viderant atteſtationes, tum quia non fuerat facta relatio, niſi dumtaxat ſuper notorietate factorum, et non ſuper veritate eorumdem: ideo ad obſervandum omnes circumſtantias, de mandato dominorum Cardinalium, et plurium epiſcoporum, et aliorum qui dati fuerant commiſſarii per concilium, ad examinandum teſtes, idcirco fecit relationem ſuam ex abundanti per hunc modum. Quia primo ſumebat ſigillatim unumquemque articulum, exprimendo ejus ſubſtantiam et effectum: et poſt ſtatim ſubjungebat, ſatis iſte articulus probatur verus per tot teſtes, quorum tres ſunt Cardinales, quinque epiſcopi, et duo doctores, et tres auditores, etc. Et ſic de omnibus articulis, uſque ad finem. Qui omnes fuerunt probati viri, et quilibet, per plures teſtes magnæ autoritatis. In fineque ſubjunxit, ſi eſſent aliqui de concilio, qui vellent videre ad longum atteſtationes, quod irent die Lunæ et Martis proxima ad conventum Carmelitarum, et ibi reperirent notarios, qui omnia ad plenum eis oſtenderent, de quibus, &c. ut ſupra.

Sessio XIV.

Die Mercurii adveniente, quæ fuit quinta menſis Junii, ſervatis ſolemnitatibus et cæremoniis, ut alias fuerunt ſervatæ, advocatus eccleſiæ aſcendit pulpitum, et propoſuit, quod die Mercurii ultimè præterita fuit decretum citatorium contra dictos contendentes de papatu, ad audiendum ſententiam definitivam in præſenti cauſa unionis eccleſiæ, ſchiſmatis et fidei, ſcilicet ad diem hodiernam quintam menſis Junii, videlicet per edictum ponendum et affigendum in valvis hujus baſilicæ, et aliis locis inſignibus civitatis, prout factum fuit, et conſtat per relationem legitimam curſorum, ac etiam per rei evidentiam. Ideo

Ideo petiit & requisivit, quod omnes domini Cardinales & alii prælati se transferrent ad valvas ecclesiæ prædictæ, & proclamarent, & requirerent, an dicti contendentes de papatu improbe, aut aliquis pro ipsis aut aliquo ipsorum, esset præsens. Et relatione dictorum cursorum facta petiit sententiam definitivam in scriptis fieri, etiam contumacia non obstante, quam accusabat nomine quo supra. Quibus sic factis, duo Cardinales, videlicet de Columna & sancti Angeli junior, & duo archiepiscopi, videlicet Januensis & Pisanus, pluresque doctores solemnes, & notarii, ad valvas dictæ ecclesiæ se transtulerunt, & & proclamaverunt bis, aut ter, an, &c. Quibus reversis, retulerunt se dictos contendentes de papatu non reperisse, nec aliquem pro ipsis. Ex quo procuratores petierunt sententiam definitivam contra eosdem contendentes, ut supra, etiam contumacia non obstante. Et petiit advocatus ecclesiæ, si placeret omnibus, quod sententia definitiva ferretur per dominum patriarcham Alexandrinum: qui responderunt, placet. Quo facto, dictus dominus patriarcha, astantibus sibi aliis duobus patriarchis, scilicet Antiocheno & Hierosolymitano, uno a dextris & alio a sinistris, & sedens pro tribunali in dicto pulpito, in scriptis pronunciavit sententiam definitivam contra dictos duos contendentes voce alta & intelligibili, valvis prædictæ ecclesiæ omnibus apertis, & innumerabili multitudine populi, quantum ecclesia poterat capere, assistente.

Tenor sententiæ definitivæ contra prædictos contendentes de papatu.

CHristi nomine invocato, sancta & universalis synodus, universalem ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, sancti Spiritus gratia, in hac majori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter exceptis omnibus & singulis, productis, probatis & agitatis, in præsenti causa unionis ecclesiæ, fidei & schismatis, contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præsenti processu & causa plenius continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam synodum ad infrascriptam definitivam sententiam moventibus, & inducentibus, habita prius inter se ipsos, & denuo inter tam copiosam multitudinem magistrorum in theologia sacra, atque utriusque juris doctorum, priusque & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnesque pariter in hanc sentētiam reperiens unanimiter concordare, omnibus, modo, via & jure, quibus magis & melius potest in prædictis contendentibus, seu verius colludentibus de papatu, & cujuslibet eorum contumacia, in his scriptis pronunciat, decernit, definit declarat, omnia & singula crimina & excessus, & alia cuncta necessaria ad infrascriptam decisionem præsentis causæ deducta, per providos viros Henricum de Monteleone, Joannem de Scribanis; & Bertholdum Vojederghensem, promotores, instigatores & solicitatores, seu procuratores deputatos ad persequendum præsentem causam, pro hujus detestandi & inveterati schismatis hujusmodi extirpatione, & unione atque reintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & adversus prælibatos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra & universali synodo præsentata & exhibita, fuisse & esse vera atque notoria: ipsosque Angelum Corarium, & Petrum de Luna, de papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque, fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, approbatores, fautores & manutentores pertinaces, necnon notorios hæreticos, & a fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, universalem ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia, notoriis, evidentibus & manifestis: & ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate, etiam papali, indignos: ipsosque, & eorum utrumque propter præmissas iniquitates, excessus, & crimina, ne regnent vel imperent aut præsint, a Deo & sacris canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, & etiam ab

ecclesia præcisos. Et nihilo minus, ipsos Petrum & Angelum, & eorum utrumque, per hanc definitivam sententiam in his scriptis privat, abjicit & præscindit, inhibendo eisdem ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam, ad cautelam decernendo, & insuper omnes Christicolas quoscumque, etiamsi imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia (nonobstante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illi vel eorum alteri tenerentur astricti) fore perpetuo absolutos. Inhibendo iisdem Christi fidelibus, ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum alteri, quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel favorem ipsis præstent, aut ipsos recipiant vel receptent sub pœna excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes, & sequaces, etiam per seculares potestates fore compescendos & compesci debere, juxta præcepta Divina & sacrorum canonum dispositiones, eadem sancta synodus pronunciat, decernit & definit: ac insuper, omnes & singulos processus & sententias excommunicationis, inhabilitatis, vel alterius censuræ & pœnæ, privationesque ordinum & dignitatum, etiam Cardinalatus, beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualescumque fuerint, & quocumque nomine noncupentur, seu nominentur, contra dominos Cardinales per dictos Petrum de Luna, & Angelum Corarium latos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos, nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti: & quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos fore: sicque etiam ad cautelam, quantum & quatenus expediat, omni modo & jure, quo melius potest, annullat, cassat & irritat. Et insuper promotiones, immo potius profanationes quorumcumque ad cardinalatum, per dictos contendentes de papatu, & eorum utrumque, attentas, videlicet per dictum Angelum a die tertia Maii, & per Petrum antedictum, a die decimaquinta Junii anni proxime præteriti millesimi quadringentesimi octavi, fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes, & quatenus de facto processerunt, annullandas, cassandas & irritandas; & sic etiam ad cautelam, quatenus expedit, omni modo & jure quibus melius potest, præfata sancta synodus per hanc sententiam definitivam cassat, & irritat & annullat.

Ad providendum autem adversus processus, constitutiones & sententias in præjudicium unionis, & alias, per Petrum de Luna, & Angelum Corarium, olim contendentes de papatu, seu colludentes præfatos, factas & latas contra reges, principes, patriarchas quoque, archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, universitates quoque studiorum & communitates, ac singulares personas ecclesiasticas & sæculares, & certas promotiones per ipsos olim contendentes factas ad dignitates quascumque & ulterius procedendo super aliis bonum universalis ecclesiæ tangentibus: sancta synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis, & assignavit eamdem diem Lunæ pro dicta sessione, ad providendum super aliquibus quæ concernunt statum & bonum regimen ecclesiæ universalis. Quo facto, omnes cantaverunt, Te Deum laudamus: & fuit ordinata solennis processio ad diem crastinam, octavam diem Sacramenti: fuitque ulterius ordinatum, quod nullus recedat de synodo absque licentia, & donec se subscripserit in sententia prælibata.

Sessio XVI.

Qua diæ Lunæ, decima mensis Junii adveniente, servatis solemnitatibus, prout supra, archiepiscopus Pisanus supradictus ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam mentionem facientem, quod domini Cardinales promittebant Deo sic, quod procurarent toto posse quod is qui in papam eligeretur, reformaret ecclesiam, & quod non pateretur aut permitteret concilium dissolvi, donec de Concilio esset facta bona reformatio ecclesiæ, tam in capite, quam in membris.

Se-

Sequitur tenor schedulæ.

Nos omnes & singuli episcopi, præsbyteri & diaconi, Cardinales, congregati in Civitate Pisana pro schismatis extirpatione, unitate & bono statu in Dei ecclesia inducendo, promittimus in verbo veritatis, Deo, ecclesiæ Romanæ, & sanctæ synodo hic in Christi nomine congregatæ, quod si quis nostrum in summum Romanum pontificem eligatur, præsens concilium continuabit, nec dissolvet, nec dissolvi permittet, quantum in eo erit, usquequo per consilium ejusdem concilii sit facta debita, rationabilis & sufficiens reformatio universalis ecclesiæ & status ejus, tam in capite, quam in membris. Et promittimus etiam, quod si aliquem de dominis Cardinalibus absentibus, vel de extra nostrum Collegium, assumi contingat in papam, veraciter & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto posse, habere ab eo promissionem & sufficientem securitatem, quod servabit & implebit omnia & singula supradicta: & interim de lata sententia contra contendentes, super eorum ejectione de papatu, sumus contenti, & ratum habemus, quod sede vacante concilium continuetur, & quod in eo quantum commode fieri poterit, in dicta reformatione procedatur, & quod super hoc in proxima sessione alia sessio indicatur. Et fuit assignata alia sessio ad diem Jovis proximam, quæ erit 13. dicti mensi Junii, ad providendum super aliquibus, quę notoria videntur pro bono unionis.

SESSIO XVII.

Dicta die Jovis adveniente, servatis servandis, patriarcha Alexandrinus cum aliis duobus patriarchis, videlicet Antiocheno & Hierosolymitano, ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam, cujus tenor sequitur, & est talis. Item quia hujus pestiferi schismatis tempore, dominorum Cardinalium in sacro Concilio existentium quidam sunt a divisis olim per contendentes de papatu creati, & nunc Deo dirigente procedendum est ad electionem unici & indubitati summi pontificis: hoc sacrum concilium universalem ecclesiam repræsentans, consentit, disponit, et ordinat, quod ipsi sic a divisis creati, ad electionem prædictam procedant, si & in quantum opus est hac vice, autoritate hujus sacri Concilii. Nec per hoc potestati dominorum Cardinalium circa electionem Romani pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare: sed hortatur omnes prædictos dominos Cardinales, quod ipsi cum caritate ad electionem unius pastoris procedant sic unanimiter, quod de quacumque discordiæ scintilla notari non debeant.

SESSIO XVIII.

Die Veneris 14. mensis Junii, anno Domini milllesimo quadringentesimo nono, facta processione generali in civitate Pisana, in qua fuerunt domini Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, abbates, doctores, & totus clerus, & fuit Missa celebrata devote per Cardinalem de Thureyo, super facto unionis sanctæ matris ecclesiæ. Postmodum comparuerunt illico ambassiatoris regis Arragonum, & petierunt audientiam, quæ fuit eis concessa, dum tamen docerent de eorum mandato. Et quidam doctor, ambassiator ipsius regis, ascendit pulpitum, & proposuit bonam regis Arragonum intẽtionem, quam habet ad sanctæ matris ecclesiæ unionem: & asserebat se ad hoc laboraturum: & petiit se de actis in concilio agitatis informari quoniam informatione habita, paratus erat facere debitum. Protestabatur tamen, quod non intendebat approbare vel consentire aliquo modo actis in dicto concilio, donec esset plenius informatus: de quo petiit instrumentum, et insuper dixit, quod nuncii domini Benedicti papæ XIII. erant in villa. Et fuit tunc sibilatus et illusus, quia dixit & vocavit eũ papam, & petiit audientiam pro eis. Ad quod fuit responsum, regratiando de voluntate regis Arragonum. Et fuit responsum, quod libenter darentur deputati autoritate Concilii, qui ipsos regis ambassiatores informarent ad plenum de omnibus, &c. Quoad nuncios Petri de Luna, dictum fuit, quod tarde venerant, & quod ad præsens audiri non poterant, & quod domini super hoc deliberarent. Postea

ftea fuit deliberatum ea die, quod licet de jure contra sententiam latam contra hæreticum audiri non debebant, tamen ob reverentiam regis Arragonum audirentur ad partem: & sic concilium recessit.

Eadem die Veneris, prandio sumpto, in ecclesia sancti Martini Pisanensis apparuerunt legati regis Arragonum, petentes audientiam pro nunciis Petri de Luna: quæ fuerat eis concessa. Et cum veniebant ad dictam ecclesiam, fuit clamatum contra eos, tamquam contra Judæos: & quando intraverunt locum concilii, nulla est eis reverentia facta, & fuit coram eis sententia lecta, tribus Cardinalibus deputatis audientibus. Cum unus ex ipsis ambassiatoribus Petri de Luna, scilicet archiepiscopus Tarraconensis, vellet proponere: ipse primo dixit quod erant nuncii domini reverendi papæ Benedicti XIII. Fuit magnus tumultus contra eos, & fuit vocatus nuncius hæretici & schismatici, & cum eo Joannes de Costa olim episcopus Mimatensis, qui se gerebat pro nuncio dicti Petri cum pluribus aliis: & silentio facto, iterum petiit audiri. Quo concesso incepit dicere, quod videbat certa capitula concordata inter dominos Cardinales & communitatem Florentinorum, in quibus inter cætera continebatur, quod nullus huc veniens posset impugnare facta in concilio, vel contra venire, & quod habebat aliqua dicere, quæ forte non bene conveniebant actis in hoc concilio: ideo non poterat proponere injuncta ad plenum, nisi daretur sibi securitas, quod non obstantibus ipsis capitulis posset libere loqui: & de hoc supplicabat. Cui per cardinalem Aquilejensem fuit responsum, quod omnes domini cardinales erant præsentes, & quod non habebant potestatem dispensandi contra dicta capitula: & quod si vellet loqui, quod loqueretur prout crederet expedire, alias non. Quo audito, legati regis Arragonum, & dicti Petri de Luna nuncii, locuti sunt ad partem, & dixerunt quod volebant latius dicta capitula videre, & amplius deliberare: & petierunt dilationem ad crastinum, quæ fuit eis concessa: & recesserunt dicti nuncii Petri de Luna cum magno timore. Quo crastino adveniente, quæ fuit dies Sabbati decima quinta Junii, supra nominati nuncii Petri de Luna, nulla audientia ulterius petita, hospite insalutato recesserunt.

Sessio XIX.

Dicta die Sabbati, decima quinta Junii, servatis solemnitatibus & cæremoniis ut supra consuetis, fuit Missa celebrata in dicto concilio in ecclesia cathedrali, de sancto Spiritu, per archiepiscopum Lugdunensem, & factus sermo per episcopum Novariensem, qui cepit pro themate. *Eligite meliorem, & eum ponite super solium*, 4. Regum, decimo capitulo: & peroptime deduxit illam materiam: & ipso finito, concilium recessit.

Eadem die Sabbati hora Vesperarum, domini cardinales numero viginti quatuor intraverunt in conclave cum magna devotione, & erat deputatus ad custodiendum conclave magister Rod prout fecit cum pluribus aliis notabilibus viris in domo domini Archiepiscopi dictæ civitatis: & ibidem steterunt usque ad diem Mercurii, vigesimam sextam dicti mensis Junii.

Die autem Mercurii, vigesima sexta dicti mensis Junii, omnes domini cardinales unanimiter, nullo reclamante, existentes in prædicto conclavi, de mane circa horam Tertiarum, elegerunt in summum pontificem, reverendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Petrum de Candia, tituli basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, Mediolanensem nuncupatum, ordinis fratrum Minorum, nunc vero Alexandrum papam V. Ipse siquidem papa post suam assumptionem ordinavit unam sessionem pro concilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ primam mensis Julii proxime sequentis.

Sessio XX.

Qua die Lunæ adveniente, fuit celebratum Concilium in ecclesia Pisana, ut supra: ac solemnitatibus & cæremoniis servatis, cardinalis de Thureio celebravit Missam: postmodum fuerunt cantata solita cantari, & litaniæ cum multis orationibus, & fuit lectum evangelium per unum diaconum cardinalem: postea papa incepit hymnum, Veni creator Spiritus, &c.

Et

Et omnes de concilio responderunt. Quo cantato, cathedra papæ fuit alte posita ante magnum altare in medio, & ab opposito ipsius, versus occidentem, in ultima parte ipsius concilii, fuerunt positæ tres altæ & magnæ cathedræ pro tribus patriarchis, scilicet Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, qui ibidem sederunt & postea de mandato papæ ibidem præsentis fuit lectum decretum suæ electionis, in quo omnes Cardinales se subscripserant. Quo lecto, Cardinalis de Chalanco rogavit concilium, ut oraret pro statu papæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Quo facto, papa fecit unum sermonem, themate sic incipiente: *Erit unũ ovile, & unus pastor*: ut Jo. 11. multa pulchra dixit, narrando quomodo pastor se habere debet erga gregem, & grex erga Deum: & regratiabatur Cardinalibus, & promittebat multa bona facere eis. Quo facto, cardinalis sancti Eustachii dictus Bononiensis, ascendit pulpitum, & ex parte papæ Alexandri V. aliqua promulgavit, quæ ordinaverat dictus dominus noster papa.

Et primo, omnes processus, sententias & ordinationes factas per dominos cardinales circa factum unionis ecclesiæ, a die tertia mensis Maii anni Domini millesimi quadringentesimi octavi, & omnia facta in concilio generali, approbavit & ratificavit, & omnem defectum juris & facti, si quis intervenisset, supplevit, si & in quantum opus esset.

Item, duo collegia cardinalium univit, & unum fecit collegium, & pro uno in posterum voluit haberi: & dabit singulis singulos titulos, & de concurrentibus ordinabit.

Item impedimentum appositum in beneficiis Cardinalibus de Chalanco, sub prætextu, quod diu steterat cum Petro de Luna, sub prætextu suarum excusationum, alias per cardinales admissarum, relaxavit.

Item dixit, quod tantum faceret erga prælatos qui ad concilium venerant, quod ad eorum lares læti & gaudentes reverterentur.

Item dixit, quod ipse volebat vacare circa reformationem ecclesiæ, prout fuerat per Cardinales promissum ante ejus promotionem, & quod eligerentur probi viri & litterati de qualibet natione pro suis, ad deliberandum cum ipsis Cardinalibus ad reformationem ecclesiæ.

Item fuit ordinatum, quod die Dominica sequenti coronaretur cum solemnitatibus, & aliis necessariis ad præmissa.

Item fuit ordinata alia sessio ad diem Mercurii tunc proxime sequentis, quæ erit die decima mensis Julii: & sic dictum concilium recessit.

Sessio XXI.

Qua die Mercurii decima Julii adveniente, Missa celebrata per archiepiscopum Januensem, & aliis cæremoniis servatis circa officium Divinum, domino nostro papa præsidente, pro parte communitatis Florentinorum ascendit quidam juriperitus pulpitum, incipiens pro themate. *Offer te Domino tuo, & redde ei debibitum tuum*: in hoc themate cepit tria intelligenda. Primum fuit veneratio, secundum gratulatio, & tertium oblatio. Veneratio debita tantæ & tam solemni congregationi prælatorum & aliorum Concilium generale constituentium. Secundum, gratulatio quam habebant Florentini de tam nobili aggregatione, quam pro tanto bono venerantur, ut finem debitum & intentum inveniat, sanctam scilicet unionem ecclesiæ in unico universali vero & indubitato pastore. Tertiũ fuit oblatio. Nam postquam dixit labores, miserias & ambassiatas quas communitas Florentina fecerat in prosecutione unionis Ecclesiæ, addidit quod civitas prædicta se offerrebat secundum possibilitatem & usque ad excidium proprium, prosequi extirpationem schismatis: & litteras exhibuit credentiæ, quas legit postmodum archiepiscopus Pisanus.

Postea unus alius jurisperitus ex parte civitatis Senarum ascendit pulpitum, & tria ex parte ipsorum exposuit. Primo Divinum auxilium imploravit: secundo orationem suam se abbreviaturum protestatus fuit: tertio condescensuros; ad ea quæ sibi commissa fuerant. Primitus dicere habuit, quod quarta Julii totus populus & clerus Senarum subtraxerat obedientiam Gregorio, & declaraverat se velle obedire domino nostro papæ Alexandro, & suo sancto collegio. Recitavit diligentias & la-

bores

bores quos civitas Senarum fecit prosequendo unionem, & accepit pro themate: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, Isaiæ 9. quod applicuit populo Senarum pro tempore quo obedivit Gregorio. Sed postquam conversus est ad obedientiam domini nostri papę, vidit lucem magnam. Secundum thema quod applicuit sacro concilio ecclesiæ fuit: *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quem revocavit de tenebris ad lumen suum:* & omnes partes hujus thematis ostendit debite convenire huic sacro concilio. In fine dixit, civitatem Senarum paratam exponere quidquid haberet ad prosecutionem unionis & extirpationem schismatis. Et recitavit quod inimici domini nostri papæ succumbebant quotidie, & quod in uno conflictu recenter facto magna multitudo inimicorum perierat. Quibus sic actis, cardinalis de Chalanco ascendit pulpitum, & legit schedulam infra scriptam.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Alexander Divina providentia papa V. considerans, quod tam per Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum de Corario, Gregorio XII. à nonnullis nominatos, nuper de papatu contendentes, quam per duos quondam, Bartholomæum archiepiscopum Barensem, Urbanum VI. Petrum de Thomacellis, Bonifacium IX. Cosmatum, Innocentium VII. & Robertum de Gebenna, Clementem VII. nominatos, dictorum nuper contendentium prædecessorum, durante tempore schismatis & occasione ejusdem, nonnulli processus, sententiam excommunicationum, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, suspensionis & interdicti, & alias censuras ecclesiasticas in se continentes, in & contra collegia, divisas personas, regna, jurisdictionis, communitates, universitates, collegia, loca, districtus & territoria, fuerunt & sunt hinc inde facti & promulgati, ac propter antiquum dictum schisma, ac etiam quia multi notabiles doctores utriusque juris, & magistri in sacra pagina scripserunt pro & contra, ac publice & solemniter determinaverunt, ita ut in dubium vertatur a multis, quis a tempore dicti schismatis fuerit verus Romanus pontifex, seu quis veri vicari Jesu Christi fungeretur officio, ad exonerationem conscientiarum utriusque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad unum ovile ovium redactæ sunt; omnes & singulos hujusmodi processus & sententias, qui vel quę occasione, & prętextu schismatis & adhærentię utriusque patris seu viæ neutralitatis assumptæ vel introductæ, hinc inde, ut præmittitur, lati, decretati, seu fulminati fuerunt: quos omnes & singulos hic pro expressis haberi volumus, hoc sacro approbante concilio, ex nostra certa scientia tollimus et abolemus, ac pro sublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus, neminem præfatis sententiis aut processibus esse ligatum vel involutum declarantes. Et nihilo minus ex abundanti ad cautelam, ac si & in quantum indigent, quoscumque subditis processibus comprehensos a dictis sententiis & censuris absolvimus, & absolutos haberi decernimus & declaramus, & super irregularitatibus, si si quas propter promissa vel occasione præmissorum contraxerint, dispensantes.

Item fuit ordinatum, aliam sessionem fieri debere ad diem Mercurii tunc proximam, quæ postea fuit de mandato domini nostri papæ prorogata, propter adventum regis Ludovici interim supervenientis, ad diem vigesimam septimam Julii.

Sessio XXII.

Qua die vigesima septima Julii adveniente, Missa, cæremoniis, et aliis solemnitatibus servatis, dominus Cardinalis de Chalanco indutus tunica diaconali et mitra, de mandato domini nostri papæ ascendit pulpitum, pluribus prælatis associatus, legitque articulos et capitula subsequentia.

Item, sacro approbante Concilio, omnes et singulas promotiones, translationes, confirmationes, collationes, et quascumque provisiones, quibusvis personis huic sacro concilio et ejus determinationi adhærentibus, de quibuscumque prælaturis, dignitatibus, beneficiis et officiis ecclesiasticis, curatis, vel non curatis, consecrationesque episcoporum, et ordinationes clericorum, per ipsos contendentes de papatu, aut eorum alterum, seu ipsorum prædecessores, vel eorum mandato, aut au-

autoritate, temporibus et locis in quibus eisdem realiter et libere præstabatur obedientia, dum tamen ante sententiam definitivam et alias canonice factæ sint, et publice, ac pacifice tempore sententiæ possederint, et in præjudicium unionis, aut persecutionis ejusdem, vel huic Concilio adhærentium, factæ non fuerint, ex certa scientia et motu proprio ratificamus et approbamus, ac ratas haberi volumus atque firmas, et etiam si oporteat, de novo providemus.

Ubi autem aliquis casus emergeret, per quem appareret aliquem huic concilio adhærentem, gravatum per alterum ex contendentibus, a die tertia Maii quoad Angelum Corarium, et a die 15. Julii quoad Petrum de Luna, anni videlicet millesimi quadringentesimi octavi, placet concilio, quod dictus dominus noster papa provideat, ut sibi justum esse videbitur. Item placet concilio, quod super facto archiepiscopi Januensis dominus noster provideat.

Item electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, consecrationes clericorum, ordinationes, præsentationes, institutiones, collationes et privationes quasvis, provisiones et dispositiones quibusvis personis huic sacro concilio et ejus determinationi adhærentibus, de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, de prælaturis, per electores, confirmatores, patronos, ordinarios, et quoscumque provisores, ad hoc potestatem et autoritatem habentes, canonice factas, temporibus et locis subtractionis et neutralitatis, in quibus hujusmodi contendentibus obedientia præstabatur, dummodo alias canonice factæ sint, hoc sacro approbante concilio ratificamus et approbamus, et ratas habere volumus atque firmas, ac omnem suscipere roboris firmitatem, reservationibus non obstantibus quibusque: declarationibus tamen et decretis hoc capitulum concernentibus in aliis sessionibus lectis in suo robore permanentibus.

Item, ut unione et pace jam in Dei ecclesia per ipsius gratiam in capite confirmata, pax et tranquilitas subditorum perfectius procuretur, et litium anfractus, quarum dubii sunt eventus, consultius evitentur: hoc sacro approbante concilio decernimus et declaramus, quod omnes et singuli beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata, vel non curata, titulo ordinario assecuti, et possessionem pacificam jam adepti, dum tamen canonice, et alias quam per privationem adhærentium huic sacro concilio & ejus determinationi, assecuti fuerint, beneficiis hujusmodi libere & pacifice gaudeant, nec in jure, titulo, seu possessionibus suis, quomodolibet inquietentur, turbentur, seu graventur, etiam si specialiter vel generaliter beneficia prædicta sedi apostolicæ fuerint reservata.

Per præmissa vero, seu aliquod præmissorum, non intendimus derogare ordinationibus circa præmissos articulos factis in ultima congregatione prælatorum, & aliorum virorum ecclesiasticorum, facta Parisiis. Nec etiam ex præmissis, vel aliquo præmissorum volumus aliquo præjudicium generari venerabilibus fratribus nostris cardinalibus, aut alicui ipsorum huic sacro concilio & ejus determinationi nunc adhærentium, in beneficiis, & alias per ipsos & quemlibet ipsorum canonice possessi. Per hoc autem etiam non intendimus fieri aliquod præjudicium venerabili fratri nostro cardinali Albanensi in jure quod habet in archidiaconatu ecclesiæ Lucionesis.

Item, sacro approbante concilio, decernimus fore procedendum contra obedientes & adhærentes pertinaciter, seu fautores Petri de Luna & Angeli Corarii, nuper de papatu contendentibus & colludentibus, per hoc sacrum concilium de schismate & hæresi notoriis, per definitivam sententiam condemnatis, modis quibus est contra credentes & fautores hæreticæ pravitatis, secundum sacros canones, procedendum.

Item, sacro approbante concilio, decernimus per nos vel successorum nostrum ex certis magnis & arduis causis nos & hoc sacrum concilium moventibus, iterum generale concilium fore convocandum hinc ad triennium, videlicet anno quo dicetur, anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, in mense Aprili, in civitate seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus concilii, per nos vel per successorem nostrum.

Item

Item, sacro approbante concilio, decernimus & declaramus, quod si cardinalis de Flisco infra duos menses proximos personaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præstare, & determinationi hujus sacri concilii adhærere voluerit, benigniter recipiatur, cum integritate status & honoris, atque beneficiorum quæ decimo quinto Junii anni millesimi quadringentesimi octavi obtinebat.

Item, omnes dispensationes factas per episcopos diœcesanos in partibus neutralibus, super defectu ætatis, causa assequendi & obtinendi beneficia, dignitates, prçlaturas, item, omnes absolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes, quam per ordinarios prçdictos schismate pendente factas, super casibus sanctæ sedi Apostolicæ reservatis, ex certa scientia, hoc sacro approbante concilio, ratificamus & approbamus.

Post prædicta archiepiscopus Pisanus in pulpito prædicto pronunciavit, quod dominus noster Alexander papa V. oculum misericordiæ & viscera compassionis & pietatis suæ convertens ad ecclesias desolatas, ruinosas, & in magna necessitate constitutas, liberaliter remittit et indulget omnia arreragia majora, minora servitia ab eis suę cameræ apostolicæ debita de toto tempore præterito usque ad tempus suæ assumptionis.

Item, idem dominus noster notificavit omnibus per organum dicti domini archiepiscopi Pisani, quod non intendit amodo ut antea reservare bona seu spolia prælatorum & aliorum morientium prælatorum.

Item, quod non intendit reservare fructus medii temporis beneficiorum vacantium.

Item supplicavit idem dominus archiepiscopus nomine totius concilii dominis cardinalibus, quod portionem competentem eisdem de arreragiis præteriti temporis vellent ecclesiis & viris ecclesiasticis remittere liberaliter, quemadmodum dominus noster fecerat in portione ipsum tangente: & petiit a concilio, an hoc placeret sibi, & quod expresse diceret, placet: dominus cardinalis Albanensis solus se opposuit.

Item, idem archiepiscopus pronunciavit proxime futuram sessionem fiendam ad diem Veneris sequentem, de mandato domini nostri papæ; & quod nullus interim recederet sine licentia papali. De istis omnibus hac die expeditis promotor seu procurator ecclesiæ petivit unum vel plura instrumenta confici per clericos cameræ & notarios concilii ad perpetuam rei memoriam.

Item in hac sessione dictum fuit, quod dominus noster provideret archiepiscopo Januensi super archiepiscopatu suo. Etiam placuit concilio, quod dominus cardinalis Albanensis prosequeretur jus quod habere prætendebat in archidiaconatu Lucionesi. Successive præfatus dominus noster papa sessionem fiendam, certis de caussis animum suum moventibus, continuavit usque ad diem Mercurii septimam mensis Augusti tunc proxime sequentis.

Sessio XXIII.

Die Mercurii septima Augusti adveniente, solemnitatibus & cæremoniis servatis circa officium Divinum, sanctissimus in Christo pater dominus noster, sacro approbante Concilio, ordinavit, quod bona immobilia ecclesiæ Romanæ, seu aliarum ecclesiarum, nullatenus per ipsum vel alios prælatos alienentur, seu hypothecentur, usque ad proxime indictum concilium, in quo super hoc articulo maturius poterit deliberari.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, ordinat & mandat celebrari ante concilium generale concilia provincialia, per metropolitanos & synodos, ac eorum suffraganeos, secundum formam juris & concilii generalis: quia ex eorum omissione multa inconvenientia sequerentur.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, ordinat & mandat, celebrari capitula monachorum, magistrorum, & canonicorum regularium, secundum formam concilii generalis, & constitutiones felicis recordationis...... & Benedicti XII. & quia limitatio provinciarum facta per Benedictum XII. non possit de præsenti, obstante temporis malitia, observari, ordinat dictus dominus noster, quoad dicta capitula celebranda, standum

juri

juri antiquo, durante impedimento prædicto; videlicet, ut provincia communis & vulgaris possit per se capitulum provinciale celebrare, ex quo commode cum alia non possit convenire: & deputabit dominus noster præsidentes & executores ad præmissa exequenda.

Item, idem dominus noster, eodem approbante concilio, disponit non facere translationes de invitis, nisi parte vocata & audita, & de consensu majoris partis cardinalium, usque ad proxime indictum concilium, nisi ex causis justis & rationalibus.

Item, dominus noster, sacro approbante concilio, decernit, quod ex parte ipsius domini nostri cum cardinalium consilio deputabuntur nuncii solemnes, qui mittentur ad reges & principes, & certos fideles, ad publicandum & prosequendum autoritate domini nostri papæ & sacri concilii, acta in hoc concilio.

Item, dominus noster autoritate Dei, Apostolorum Petri & Pauli, & sua; concedit omnibus qui in hoc concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærentibus absolutionem plenariam a pœna & culpa, semel tamen in vita; ita quod quilibet de prædictis infra duos menses, postquam ad ejus notitiam concessio hujusmodi pervenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi, in forma ecclesiæ. Similem concessionem facit dominus noster singulis supradictis in mortis articulo, intelligendo tam de dominis, quam de familiaribus.

Item, cum dominus noster papa cum consilio concilii intenderet reformare ecclesiam in capite & in membris, & jam multa per Dei gratiam sint expedita per ipsum dominum nostram papam, & multa alia statum & favorem prælatorum, & aliorum inferiorum concernentia restent, quæ, propter regressum prælatorum & ambassiatorum, de præsenti expediri non possunt: propterea idem dominus noster, sacro requirente & approbante concilio, dictam reformationem suspendit & continuat usque ad proximum jam indictum concilium, & præsens concilium prorogat & continuat usque ad illum terminum, qui præfixus est omnibus ad concilium convocatis, redeundum ad proprias ædes, usque ad terminum præfixum supradictum.

Eorum, qui interfuere nomina ita descripta habentur penes Raynaldum to. 17. ad ann. 1409.

Nomina Reverendissimorum Cardinalium, Ambassiatorum Regum, Principum, Ducum, Comitum, Baronum, Communitatum, & Universitatum.

Episcopi Cardinales.

Dominus Guido Episcopus Prænestinus, D. Henricus Episcopus Sabinensis, D. Nicolaus Episcopus Albanensis, D. Antonius Episcopus Ostiensis, D. Petrus Episcopus Tusculanus.

Presbyteri Cardinales.

Dominus Petrus tit. S. Susannæ dictus de Tureyo, D. Angelus tit. S. Potentianæ dictus Laudensis, D. Petrus tit. S. Praxedis dictus de Hispania, D. Conradus tit. S. Crysogoni dictus Militensis, D. Franciscus tit. SS. Quatuor Coronatorum dictus Burdegalensis, D. Jordanus tit. S. Laurentii in Damaso dictus de Ursinis, D. Joannes tit. S. Crucis in Jerusalem dictus Ravennas, D. Antonius tit. S. Praxedis dictus Tudertinus, D. Ludovicus tit. SS. Apostolorum dictus de Baro.

Diaconi Cardinales.

D. Amadeus S. Mariæ novæ dictus de Saluftiis, D. Raynaldus S. Viti in Macello dictus de Brancacciis, D. Landulphus S. Nicolai in Carcere Tulliano dictus Barensis, D. Baldassar Cossa dictus S. Eustachii, D. Odo S. Georgii ad velum aureum dictus de Columna, D. Petrus S. Angeli Romanus dictus, D. Antonius S. Mariæ in Via-lata dictus de Calancho, D. Petrus S. Angeli Ultramontanus dictus.

Nomina Ambassiatorum Regum, & primo Regis Romanorum, & Bohemiæ.

D. Wenceslaus Patriarcha Antiochenus, D. Simon Episcopus Misnensis, D. Benetius Cosnich miles, D. Hieronymus Auditor Sacri Palatii, D. Joannes Huson decretorum doctor.

Ambassiatores Regis Franciæ.

D. Simon Patriarcha Alexandrinus, D. Petrus Episcopus Meldensis, D. Ægidius Episcopus Costantiensis, D. Guillelmus Boraterii legum doctor, D. Goffridus de Perusia.

Ambassiatores Regis, & Regni Angliæ de omnium Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum.

D. Robertus Episcopus Salisberiensis, D. Thomas Episcopus Damenensis, D. Henricus Episcopus Menensis, D. Thomas Abbas Monasterii S. Mariæ Eboracensis, D. Richardus Abbas Monasterii B. Mariæ Jorevallis, D. Thomas Prior Cantuariensis Cisterciensis Ordinis, D. Comes Suffolchiæ, D. Joannes Ochul miles, D. Richardus Camascon legum doctor Canonicus, & Officialis Eboracensis.

Ambassiator Regis, & Regni Poloniæ.

D. Petrus Episcopus Cracoviensis.

Amba-

Ambassiatores Regis, & Regni Portugaliæ, ac omnium Ecclesiasticorum, & prælatorum ipsius Regni.

D. Joannes Episcopus Ulyxbonensis, D. Episcopus Lamacensis, Magister Laurentius Provincialis Ordinis S. Augustini, Magister Ordinis Minorum Confessor Regis.

Procurator Regis Cypri.

D. Petrus Cardinalis S. Angeli Ultramontanus.

Ambassiatores Regis Ludovici Jerusalem, & Siciliæ.

D. Joannes Episcopus Vapicensis, D. Guillelmus de Rupibus miles, & Cancellarius, D. Joannes Genoardus Legum doctor, & Consiliarius, Magister Lucas de Castiglione Secretarius.

Tum de iis, a quibus Oratores missi fuere hæc subiiciuntur.

Primum à Ducibus Burgundiæ, Brabantiæ, Ernesti Guillelmino Bavariæ, & Hollandiæ, Stephanio de Bavaria Buggusƶlano Stetinensi, Pomeraniæ, & Casubiæ, principeque Ruxanorum, Carolo Lotharingiæ, & Marchianæ Gerstileo de Baldersinge Mazoniæ seniore qui numero vigintiquinque à comitibus Chinensi Blandratæ, Valcandiæ, de Serra, & Semburch, Octumburgh; & Insereulergb, judice Arboreæ, Domino Narbonæ, & vicecomite de Passo, qui undecim numero extitere, tum à Marchionibus Jodoco Brandeburgensi, & Moraviæ Archicamerario Sac. Rom. Imp. & Electore, Friderigo Turingiæ, & Marchionibus Misniæ, Estensi, qui fuere quinque. Ab Archiepiscopis Coloniensi Imperii Electore, & Maguntino qui tredecim fuere, à Patriarcha Aquilejensi tres, quinque ab electo Leodiensi, à Magistro Ordinis e Prussia, & Hospitalariorum duo.

Philibertus è Noylaco Magister Rhodiorum æquitum cum sexdecim Religiosis equitibus accessit.

Quatuor interfuere Patriarchæ Simon Alexandrinus, Hugo Jerosolymitanus, Wincelaus Antiochenus, Franciscus Lando Gradensis, Protonotarii duo; Archiepiscopi duodecim, Franciscus Narborensis Philippus Lug...... ...Petrus Bituricensis, Nicolaus Sipontinus, Franciscus Smyrnensis, Amelius Turonensis, Pileus Januensis, Vitalis Tolosanus, Alamannus Pisanus, Bertrandus Arborensis, Joannes Viennensis, Joannes Ulyssiponensis. Episcopi octuaginta. Priores unus supra quadraginta. Abbates octoginta septem. Priores Monasteriorum viginti. Generales Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Augustinianorum cum aliquot Magistris Theologis, & Procuratore Montis Oliveti. Quatuordecim Archiepiscoporum Procuratores. Episcoporum duo supra centum; Abbatum ducenti duo. Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum, cathedralium, & Collegiatarum, quæ suos miserunt oratores novem supra centum fuere &c.

Quorum nomina exprimuntur à præmemoratis PP. Labbeo, & Cossartio supracitato tom. XI. p. 2. col. mihi 2221. cum seqq., & col. 2303. legitur etiam diploma Papæ Alexandri VI. quo acta ejusdem Concilii approbantur; cujus initium est sequentis tenoris.

ALEXANDER PAPA VI.

Rerum omnium summi ac providi ordinatoris, domini nostri Jesu Christi, vices, quanquam insufficientibus meritis, gerentes in terris, exemplo ejus invitamur, ut de suprema apostolicæ dignitatis specula, ad singulas orbis partes, nostræ considerationis aciem extendentes, ad ea potissimum, per quæ fides catholica roboretur, ac hæreses & schismata procul ab ecclesia depellantur, ac illa, quæ ad hoc provide, & solemniter gesta sunt, & pro salute Christi fidelium executioni debitæ demandantur, opem atque operam, prout nostrum requirit officium, impendamus, &c. *In medio*

Convocato igitur per eosdem rite hujusmodi generali Concilio ad Civitatem Pisanam; & convocatione ipsius Universis Christianitatis partibus, Regnis, ac Provinciis, debito tempore solemniter publicata; ac successive etiam Angelo, & Petro præfatis, nec non illis, qui eis adhærebant, & se pro cardinalibus tenebant congruo tempore renunciata &c. *post brevem enarrationem eorum, quæ fuerunt acta in eodem Pisano Concilio in fine hæc sequuntur.*

Nos itaque, qui postea fuimus; Divina favente clementia, ad apicem apostolatus assumpti, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium, prædictam sententiam, & omnia alia, & singula, quæ per concilium hujusmodi, pro tollendo schismate prædicto, reintegratione memorata, facta fuerunt, utpote provide, & tantorum venerandorum patrum, immo universalis ecclesiæ, autoritate & concordia facta, rata habētes & grata, ea autoritate apostolica ex certa scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio munimus: decernentes, non minoris existere vigoris, & firmitatis hujusmodi sententiam, necnon omnia & singula acta & actitata in eodem generali concilio in hac parte, quam fuerunt & sunt alia concilia in diversis arduis negotiis ipsius ecclesiæ celebrata: volentes insuper, & eadem autoritate decernentes, quod eidem sententiæ, in judicio, & extra, stetur firmiter, & omnino pareatur. Et quia turpis est pars, quæ suo non congruit universo: volumus etiam, & autoritate prædicta decernimus, quod si quis contra eandem sententiam forsan verbo vel facto, quod absit, temere facere aut venire præsumpserit, tanquam schismaticus & hæreticus, & hæreticorum fautor, necnon ut universalis Ecclesiæ turbator & scandalizator, ab omnibus fidelibus habeatur, ac etiam evitetur; donec ab errore hujusmodi resipiscens, ad gremium ipsius ecclesiæ præmissa satisfactione debita, cum humilitate & reverentia revertatur. Nulli ergo, &c.

Datum Bononiæ 11. Kal. Februarii, anno I.


INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS PONTIFICUM PISANORUM.

…u-ne-…s.	II Nomen	IIII Familia	IV Patria	V Annus nativitatis.	VI Munus ante electionem.	VII Summi Pontif. de tempore electionis.	VIII Annus Mensis dies Electionis. A. M. D.	IX Ætas.	X Tēp. cel. Syn.	XI An. Men. die Gub. A. M. D.	XII Annus Mensis dies mortis. A. M. D.
1	S. Perinus					S Petrus.	45 vel, ut alii 51				
2	Gaudentius					Melchiades.	313 sedit				
3	Alexander					Theodorus I.	643				
4	Opportunus					Theodorus I.	643				
5	Maurianus					Agatho	680				
6	Maximus										
7	Andreas					Zacharias	742			4	
8	Joannes					Zacharias	743 circiter			16	
9	Joann es					Leo III.	804			5	
10	Plato					Paschalis I.	821 circiter				
11	Joannes					Eugenius II.	826				
12	Bingus		Insuber			Gregorius IV.	837				
13	Zenobius					Gregorius IV.	841				
14	Joannes					Gregorius IV.	844				
15	Plato					Nicolaus I.	860				
16	Joannes					Stephanus V.	890 circiter			1	
17	Ardinghus					Sergius III.	909			18	
18	Theodoric.		Germanus			Anastasius III.	911			2	
19	Turricchius		Germanus			Joannes X.	917			6	
20	Volighidius		Germanus			Joannes X.	918 circiter			2	
21	Ulferius					Joannes X.	920 circiter			1 circit.	
22	Auntus					Joannes X.	920 circiter				
23	Actus					Joannes X.	924			1	
24	Joannes					Joannes X.	925			1 circit.	
25	Henricus					Joannes X.	926				
26	Zenobius					Stephanus VII.	930				
27	Grimoaldus					Stephanus VIII.	940			18 circit.	
28	Albericus					Joannes XIII.	968			25	
29	Daimbertus					Joannes XV.	986 circiter			5 circit.	
30	Petrus					Joannes XVIII.	1005			1	
31	Wido					Joannes XVIII.	1006			6 circit.	
32	Lambertus					Benedictus VIII.	1013 circiter				
33	Wido	Travella	Pisanus			Benedictus VIII.	1015			4 circit.	
34	Wido					Benedictus VIII	1019			11 circit.	1030
35	Actius					Joannes IX.	1031				1044
36	Opizzus					Benedictus IX.	1044			19 circit.	1063
37	Wido		Patavinus			Alexander II.	1063			14 circit.	1077 Aprilis 8.
38	Landulphus		Mediolanes.			S. Gregorius VII.	1077			3	1080 Octobris 25.
39	Gerardus		Pisanus			S. Gregorius VII.	1081			5	1086 Maii 8.
40	Daibertus I. Arch. Pis.		Pisanus		Legatus S. Sedis	Urbanus II.	1092			7	1099 Maii Ad Patr. Hier transf.
41	Petrus		Pisanus		Abbas Camaldulensis.	Paschalis II.	1103 circiter			17 circit.	1020
42	Atho		Placentinus		Archidiaconus Placentinus.	Callistus II.	1120			2	1122
43	Rogerius				Episcopus Volaterranus.	Callistus II.	1123			11 circit.	1132

44 Uber-

44	Ubertus	Lanfranchi	Pisanus		S.R.E.Card.& Canon.Pisan.	Innocentius II.	1132			6	1138
45	Bald.. nus I. Primas Cor. sice,& Sard		Pisanus		Monacus Cisterciensis, & dein Cardinalis.	Innocentius II.	1138			8	1145 Octobris 6.
46	Villanus	Villani	Pisanus			Eugenius III.	1145			28 circit	1174
47	Ubaldus	Lanfranchi	Pisanus			Alexander III.	1174			35	1209 Junii 19.
48	Lotharius	Rosari	Cremonēsis			Innocentius III.	1209 Octobris			7	1216 Ad Patr. H.er. tr.
49	Aleprādinus					Honorius III.	1216				
50	M. Vitalis	Martii	Pisanus		Doct.Insign.& Can.Pisanus.	Honorius III.	1218			31 circit.	1253
51	Fridericus	Visconti	Pisanus		Cappellanus Inn.IV.	Innocentius IV.	1254			24	1278
52	Rogerius	Duraldi			Archidiaconus Bononiensis.	Nicolaus II.	1278 Augusti 8				1295
53	Theodoric.	Ranieri	Urbevetanus		Summ. Pontif. Camerarius.	Bonifacius VIII.	1295 Septembris 19			4 circit.	1299 S. R. E. ad Episc. Prænest. transiit.
	Joannes	Provinciali	Pisanus			Bonifacius VIII.	1299 Februarii 13				1312 Ad Epis. Nicos. tr.
54 55	Oddon	Sala			Episcop.Polensis, deinde Archiepisc. Aleriensis.	Clemens V.	1312 Maii 8				Ad Patriarc. Alexand. transiit.
56	Simon	Salterelli	Florentinus		Episc.Parmen.Dominicanus	Joannes XXII.	1323 Junii 6				1342 Septembris 24.
57	Dinus	Dini	Radicosano		Archiepisc. Genuensis.	Clemens VI.	1342 Octobris 29			7	1349
58	Joannes	Scherlatti	Pisanus		Epis.elect. Coron.& Can.Pis.	Clemens VI.	1349 Julii			14	1363
59	Franciscus	Moricotti	Pisanus		Primicerius Pisanus.	Urbanus V.	1363			5 circit.	1378. Card. ad Ep. Præn. tr.
60	Barnabas	Malespinā			Episc. Adrien. & Pennensis.	Urbanus VI	1378			3 circit.	1381 Novembris 7
61	Lottus	Gābacorta	Pisanus		Canonicus Pisanus.	Urbanus VI.	1382 Aprilis 7			11 circit.	
62	Joannes	Gabrielli	Pontremulensis		Episcopus Massæ.	Bonifacius IX.	1394 Septembris 11			6	1400
63	Ludovicus	Boniti	Agrigētinus		Archiep. Tessalon. & postea Episc. Bergomen.	Bonifacius IX.	1400 Novembris 15				1406. ad Taren. Eccl. tr.
64	Alamannus	Adimari	Florentinus		Archiepiscopus Tarentinus.	Innocentius VII.	1406 Novembris 3			5	1411 Sept 17 Card ob.
65	Petrus	Ricci	Florentinus		Episcopus Aretinus.	Joannes XXIII.	1411 Octobris 7			7	1418 Novembris 30
66	Julianus	Ricci	Florentinus		Canonicus Pisanus.	Martinus V.	1419 Martii 19			42 10	1461
67	Philippus	Medici	Florentinus		Episcopus Aretinus.	Pius II.	1461 Januarii 14			13	1474
68	Franciscus	Salviati	Florentinus			Sixtus IV.	1474			4	1478 Aprilis 27
69	RaphaelGaleottus	Riario	Savonensis		Card. ac Nepos Sixti IV.	Sixtus IV.	1479			20	1499
70	Cæsar	Riario	Savonensis		Patriarcha Alexandrinus.	Alexander VI.	1499				1518 ad Arch. Malea. tr.
71	Honuphrius	Bartolini	Florentinus	1495	Administrat. Eccl. Pisanæ.	Leo X.	1518	27			1556 Tr. ad Eccl Mal.
72	Scipio	Rebiba	Sicilianus		S.R.E.Card.&Ep.Motulēs.	Paulus IV.	1556 Aprilis 13			4	1560 ad Ep. Trojæ tran.
73	Joannes	Medici	Florentinus	1543	S.R.E Cardinalis.	Pius IV.	1560	17		2 circit	1562 Decembris 12
74	Angelus	Niccolini	Florentinus		Doct.egregius,ac Senar.Gub	Pius IV.	1564 Julii 14				1567 Aug. 14 Card.ob.
75	Joannes	Ricci	Politianus		S.R.E Card.Mōtis Polit. Ep.	Pius V.	1567 Septembris 4			3	1573
76	Petrus Jacobus	Borboni	Florentinus		Abbas S .. Grisogoni.	Gregorius XIII.	1574 Maii 17			1	1575
77	Ludovicus	Antinori	Florentinus		Ep. Volater. post.Ep.Pistoriē.	Gregorius XIII.	1575 Decembris 2			1 2 4	1576 Februarii 3
78	Bartholomeus	Giugni	Florentinus	1493	Can.Flor. Decan. S.Romoli.	Gregorius XIII.	1576 Februarii 20	83		1 4 16	1577 Junii 26
79	Matthæus	Rinuccini	Florentinus			Gregorius XIII.	1577 Augusti 14			4 10 4	1582 Junii 8
80	CarolusAntonius	Pozzo	Pedemōtan.	1547	Auditor Ser.Magn. Ducis.	Gregorius XIII.	1582 Octobris 1	35		24 2 13	1607 Julii 18
81	Salustius	Tarugi	Politianus		Refer. Signat. Ep.Politianus	Paulus V.	1607 Octobris 1			6 10 10	1613 Augusti 13
82	Franciscus	Bonciani	Florentinus		Archidiaconus Florentinus.	Paulus V.	1613 Novembris 6		1616	7 22	1620 Novembris 28
83	Julianus	Medici	Florentinus	1574	Legatus Serenis M.Ducis	Paulus V.	1620 Junii 15	46	1625	16	1636 Januarii 6
84	Scipio	Ex Co. Ilcii	Senensis		Episc. Pientinus.	Urbanus VIII	1636 Februarii		1640	27 5	1663 Card.ren.Archiep.
85	Franciscus	Ex Co. Ilcii	Senensis		Canonicus S. Petri.	Alexander VII.	1663 Augusti 27		1666	38 57 15	1702 Junii 20
86	Franciscus	Frosini ex Com.S.R.I.	Pistoriensis	1654	Episc. Pistoriensis.	Clemens XI.	1702 Octobris 2	48			




Vestigium opticé delineatū cum eleuatione interiori Basilicę Pisanę, ut in tab. 7.

Joseph. et Franc. Milani d.

Vestigium opticè delineatum cum eleuatione exteriori Basilicę Pisanę, ut in tab. 16

Franciscus Milani delin.

Franceschini sculp.





Ioseph. et Franc. Milani Inu. *Vestigium Tabernaculi cum eleuatione, ut in Tabula XI.* Hyer Frezza icid.



INDEX RERUM NOTABILIUM.

Primus numerus paginam, secundus columnam indicat; Literæ verò A. B. C. D. quæ impressæ minimè fuere, mente concipiendæ sunt; exemplum accipies ex pagina 135. ubi qualibet ex ipsis literis, exceptâ ultimâ, 12. linearum spatium in se continet.

A

B

C

CLE-

Index Rerum Notabilium.

Index Rerum Notabilium.

F

G

H

I

Ri-

Index Rerum Notabilium.

S

Sug-

FINIS.

APPENDIX

Ex additionibus, & Correctionibus.

LInea 32. columna 1.pagina 5.poſt alijs adde antiquitus l.18.c.2.pag.5. poſt area adde iuxtà menſurã ab alijs deprehensã.l.2. & 6.c.2.p.7. lege Buskettus l.18.c.1.p.7. poſt frõte adde pervetuſto charactere.l.16. & 26. c. 2. lege Busketti.l.27.c.2.p.7. lege puellarum, l.36.c.1. p.7.lege furentes.l.31.c.1.p.7.lege pretio l.27.c.2. p.7.adde. Prædictis addam, quod habet Italico idiomate in laudem eiuſdem Busketti P. Daniel Barthol.lib.ricreat.del Sau.par.1.c.5.pag.mihi 86. & 87. videlicet - *Frà gl'altri architetti è celebre Buſchetto il Greco, che diſegnò il Duomo di Piſa à cinque navate con tale avvedimento che vi trovaſſe luogo una gran montagna di marmi già poſti in vſo d'altri edificii, e da Piſanì fin da oltre mare portati; ſpoglie di guerra tolte à nemici di colà à forza d'animo, e d'arme, in che all'ora fioriuano al pari de più poſſenti d'Italia.Erano queſti colonne d'ogni ſtatura, groſſezza, e vena; cornici à differente intaglio, capitelli d'ogni ordine, e ſimilmente i piedeſtalli, i zoccoli, i dadi, gli ſtipiti, gl'architravi tutte membra d'architettura, ma di diverſi corpi ſmembrati; egli dunque con ſolamente ordinarle per arte ne formò un nuovo corpo così bene organizzato, che non pareva aver fatto ſervire il diſegno alla materia; mà queſta eſſergli nata nelle miniere, ò lavorata altrove, quale apunto ſi conveniua alle miſure, e all'ordine del ſuo modello tutta lode del ſuo ſapere, onde egli meritò di ſalire in pregio d'huomo che d'un chaos ſapeſſe architettare un mondo.*

l.6.c.2.p.8.loco 40.lege 38.l.10.c.2.p.8.poſt erat adde ibique erat pænitentium, nimirum flentium ſtatio. l.13.c.2. p. 8. poſt conveniebat adde ibique morabantur etiam Audientium, Proſtratorum, & conſiſtentium ordines, vt notat idem Caballutius, qui & illorum locum, & ſtationem indicat. Dicta eſt navis, quia ad formam navis conſtructa, ut refert præmemoratus D.Bernardus in apologet.ad Abb.Cluniac.vbi hæc habet- *Dum in modum navis iubetur extrui Eccleſia, monemus nos in mundo verſari tanquam in mari, quod ventorum vi agitari, atque turbari ſolet; nec aliter, quàm in Navi Eccleſiæ tutò trayci poteſt. Ea vero in altum ſæculi ita natat*, inquit D.Ambroſius ſer.11.de mirab., *ut pereunte mundo omnes, quos ſuſcipit ſervet illæſos*, l.39.c.2.p.8. poſt Eccleſiarum adde præcipuæ S. Clementis Papæ, & martyris ad amphytheatrum, ac SS.Martyrum Nerei, & Achillei l.7. c.1. p.9.lege earundem l.7.c.1. p. 9. dele ſeu ſtylobatarũ.l.20.c.1.p. 9.loco ultra lege præter l.26. c.1. p.9. lege *ſpogliatoio* l.21. c.1. p.10. lege antiquitus l.32.c.2.p. 10. lege columellis. l. 43. c. 2.p. 10.leg.50.l.47.c.2.p.10.leg.142.l.49.c.2.p.10.leg. 300. l.53.c.2. p.10. poſt eſt adde fere l. 30. c. 1.p. 14.poſt ſepulchris verò adde, ut inquit Pier Valer. lib.4.l.39.2.p.14.lege requieſcant l.5.c.1.p.17.loco fabricatas lege abſolutas l.18.c.1.p.17.lege ſcalas l.7.c.2.p.17.leg.elevatã.l.26.c.2.p.17.loco croceis lege cæruleis.l.16.c.2.p.21. lege currus. l. 15. c.1.p.23.loco ſtriatum lege diſtinctum. l. 5. c.1.p. 23.poſt magnitudinis adde eſt l.32.c.1.p. 23. poſt ordine adde per l.2.c.1.p.24.poſt aiunt adde anno 1602.l.16.c.1.p.24.poſt egregiũ adde anno 1604. l.26. c. 1.p. 24. loco baſim lege globum aureum.l. 24.c.2.p.27.poſt Concilij adde generalis. l.11.c.1. p.30.lege paradiſiacis.l.25.c.2. p. 30. poſt Pandulphus adde Piſanus. l.4.c. 1. p.31. loco debito lege ſacro l.7.c.2.p.33.lege ſemianaglypto l. 36. c.1.p. 34. lege quæret l.6.c.1. p. 39. dele prædicto l.22. c.2.p.37.lege 41.l.40.c.2.p.37.lege 42.l.38. c.1.p. 39.lege diffuderint l.51.c.2.p.41.lege lapide l.34. c.1.p.44.lege myſticè l.4.c. 2. p. 46. poſt fruuntur adde; cuius dignitatis inſignia ſunt pluviale, & baculus argenteus pomo ſupernè inſignitus.l.34.c.2. p.46.poſt Gvalandus adde, ſeu potius Gualfredus. l.13.c.1.p.48.poſt Canonicus adde, quibus conſonant S.Conc.Trid.verba cap.12.ſeſſ. 24. nimirum. *Veſtitu inſuper decenti tam ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis luſibuſque abſtineant, atque ea morum integritate polleant, ut meritò Eccleſiæ ſenatus dici poſſit.* l.17. c.1. p.48. loco ſupra lege infra. l.45. c.2.p. 48. poſt Conciliorum adde Generalium l.48.c.2.p.48. poſt vero adde à l. 49. c.2.p.48. poſt diximus adde. Animadvertendum eſt hîc præfatas inſcriptiones pag. 44. includere tempus iuxtà ſtylum Piſanum cùm Piſis annus ab Incarnatione Chriſti Domini, nempè 9. menſibus antèNativitatem, ſuum deſumat exordium, de quo plura Covarr.var.reſol.lib.1.cap.12.num.2.l.41.c. 2. p. 48.poſt de quo adde Vghell. præc. lib. 3. de Ital.Sac.pag.mihi 579.l.ult. c.2.p. 48. poſt Chriſti adde. Hujus ædificii veſtigium, vtpote extra rem noſtram, in fine operis una cùm alijs veſtigiis lateris interni, & externi Baſilicæ in tabulis 6. & 4. opticè deformati in gratiam curioſi lectoris exhibuimus. l.4.c. 1. p. 49. dele infra clarius patebit.l. 15.c.1.p.51.lege pretioſior l.15.c.2.p.49. poſt delineator adde in nonnullis.l.20.c.1.p.51. lege vultum loco multum.l.vlt.c.1.pag.51.dele multa.l.7. c.2.p.51.lege Biſel.l.18.c.2.p.51.lege cap.xv.l.78. p.52.lege Dominus l.38.c.1.p.52. poſt Dominum adde licet diverſo tempore. l. 20. c. 2. p. 52. dele verba.l.7.c.2.p.52.lege aſtant. l.12. c.1.p. 54. poſt imminet, adde. Huic fere ſimilis iconiſmus viſitur opere muſivo in Tribuna præmemoratæ Baſilicæ Sanctæ Mariæ Maioris ſub coronide, de quo Abb. Paulus de Angelis deſcript.Baſil. S. M. Maior.lib. 5.cap.9. pag.mihi 90. l.ult. ſeu in finè pag.55.lege hactenùs loco hæſimus l.6. c.1. p.55.poſt habetur adde. Hîc tamen, ac in nonnullis aliis harum val-

varum

varum quadratis Orientales plagas, & præcipuè Iudæam denotare videtur. Nam, iuxtà Pier Valer..lib.50. ſymbolum proprium eſt Iudeæ. *A palmarum*, inquit, *ferocitate Iudæa ejus arboris pictura ſignificetur*.l.30,c.2.pag.57.leg.quod l.23. c, 2,p,59,leg.Chriſtiane l.40.c.2.p.59.lege 1276. loco 276.l.41.2.p,59.lege Harum l.16.c.1.p.61. lège decimaquarta. l.6, & 12.c. 2. p. 62. loco valvæ lege valvarũ.l.39.c.1.p.62.dele elephantẽ,ac lege rhinocerotem. l.45. c. 1.p. 62. loco Elephas lege rhinoceros incedit tarde, ſed tutò,ac alium rhinocerotem, ſeu elephantum minime formidat,prout certamen inter eos hoc in quadrato expreſſum demonſtrat; Etenim rhinocerotis cùm elephanto frequens pugna eſt de paſtionibus, de qua prælaudatus Ælian.hiſt.animal.cap. 40., & licet rhinoceros ſtatura, ac forte magnitudine elephanto cedat, viribus tamen nihilo inferior eſt, ut refert Io: Iacob.Magettus Biblioth. pharm. tom. 2. pag. mihi 702. lit.R. lin.39.c.2. pag.62. loco prominet lege prominent. l.32.c.2.p.65. lege incudinis l.10. c.1.p,66.poſt quadrato lege ſignato l.31.c.2.p.66. poſt pugnam adde ſecurè.l.37.c.2.p, 66. poſt deſignat adde, quod etiam indicare videtur Patena argentea D.Petri Chryſologi Archiep. Ravennatis, cuius iconem exhibet eruditis. Ioannes Paſtritius lib.de myſt. Pat. D. Petri Chryſ. ibi cernitur Crux,ac prope Crucem Ara, ſupra quam vitulus iacet.l.42.c.2.p.66.poſt fuerunt adde Florentiæ l. 28.c.1,p.70.poſt capita adde non ad l.39.c.2.p.70. poſt malitia dele nam l.5.c.2.p. 71. lege corroſo l. 14.c.2.p.71.poſt filio adde à Piſanis.l.10.c.2.p.73. lege Navium, & columnarum ordines. l.3. c. 1,p. 75.leg.Epiſcopatuum l.40.c.1.p,75.poſt niſi adde præſumptionem ſuam.l.vlt.c.2. p. 75. lege unicuique.l.47.c.2.p.77.lege Sardinia l.34.c.2.p. 78. lege non inferre l.4.c.2. p. 79. lege componat l.47. c.2.p,80.lege areis l.11,c.2.p.83.lege de dilationibus l.28,c.2.p.83.lege Papa l.4.c.1, p. 85. poſt luminaribus adde ſeu luminvm ornamentis. l.20. c, 1.p.86.lege pene.l.39.c,1. p. 86. lege acceſſiſſet. l. 41.c.1.p.86.lège triremium l.46.c.1.p.86.lege ſyriam l. 44. c.1.p. 91. loco proximiores lege propriores. l.5,c.2.p.91. poſt imago adde cùm literis A. & ω hinc inde expreſſis.l.13.c, 1.p, 91. lege patent loco proſtrant.l.6.c.1.p, 92. lege palmarum, l.22.c.1.p.92.lege utrinque.l.12,c.2,p.92,lege aptius. l.44. c.2. p.92. lege XXI. l.29. 1.p. 95. loco nigricantibus legẽ cæruleis. l. 33.c. 1. p, 95. loco ſtriato lege diſtincto.l.36.c.1.p.95. poſt parietem lege tribus l.19. c. 2. p. 98. poſt Chriſtum dele & l.44.c.1.p.99.poſt in adde pulpito,ſeù ambone, & in januæ l.11.c.2.p.100. poſt Antoninus adde memorat.l.4.c.2.p.101.lege ſtylobata l.5.c.2. p. 101. lege ſupra quem l.15.c.2.p.101.leg. ſtylobate l.1. c.2.p.102.legè probròſæ.l.5.c.1.p. 104. lege exci-
sis. l. 30. c. 2. p. 15. dele NE. et l. fin. post Traiani lege Parthici. l. 30. c. 2. p. 39. adde alij tn eam putant penicillo expressum

ſis l.45.c.1,p.104. poſt ſancto adde col.mihi 82.l. 30. c.2.p. 104. poſt facile dele facile. l. 42. c. 1.p. 106.poſt in adde præcit.l.1.c.2.p. 107. lege te loco & l.4.c.2.lege eripit l. 30. c.1.p. 111. dele & l. 34.c.1.p.113.poſt latet adde, ac ſimile hieroglyphicum Romæ vidimus in arca, vbi SS. Euſtachij, & ſociorum corpora aſſervantur l.20. c.2. p. 113. leg.ſepulcralia l.31.c.1.p.114.leg. anaglypto l.40. c.2.p.114.poſt Tab.26.adde fig.ſub n,1.l.46.c.2.p. 118. lege CLAVSIS l.25.c.1. p.119. lege GAI. l. 48.c.1.p.119.poſt PIUS adde P. l. 41. c, 1. p.119. poſt tabularum adde ſeù cenotaphiorum l.36.c.2. p.121.lege coronatio.l.13. c.2.p. 122. lege cenſetur l.4.c. 2.p. 123. poſt Vitalis adde lib. 1. annal. Sard.l.9.c.2.p.123. loco auriſque lege coriſque l. 32.c.2. p.123. adde deinde ſequũtur carmina exprimentia ritum incipiendi ſolemniter poſt Invitat. Pſalmum *Venite exultemus* ante aram, ubi publicæ exponuntur adorationi eorundem Sanctorum reliquiæ, nempè:

Quorum inter moles, dum ſacræ munia laudis
Matutina choro ſoluvnt; ex ordine ritus,
Piſani feriali inito invitamine primo.
Regem Martyrum Dominum venite adoremus.
Angelus intonuit

l.46.c.2. p.123. poſt proxime loco Navim ingreſſurus, lege pœnitentium habitum ſuſcepturus. l. ultim. c. 2. pag. 123. loco ſequenti, lege eadem l.29.c.1.p.124. poſt prædictas adde D. Raynerii.l. 41.c.1.p.125. poſt pulverem adde tunc temporis l.11.c.2.p.129.lege in ea loco in eo l. 4.c.2.p.130. poſt fuerunt adde ut ex inſcriptione liquet l. 4.c. 2, p.130. poſt 1174. adde mens: Auguſti, ſeu, ut ex codicibus eruitur l. 7. c. 2. p.130.lege enumerantur. l. 48. c. 1. p. 132. lege Claromonte. l. 5. c, 2. p.132. lege 1133. l. 9. c. 2. p. 132. dele poſtmodum. l.51. c.2. p. 132. poſt ut refert adde præmemoratus.l.1.c.1.p.133.poſt excribunt adde præcitati l.21.c.1.p. 135. lege frangentibus loco tangentibus.l.1.c.2.p.136.lege Pontifici. l.17.c.2. p.136.lege procuratione loco procuratore. l. 17. c.2.p.137. lege ſingulis l.27.c.1. p.139. lege ſatisfacientes l.7.c.2. p. 139. lege Bavaria l.47. c.2.p. 139. poſt *tuæ* adde vt pſalm. 88. l. 30. c.1. p. 140. lege mitigando.l.21. c. 2.p. 140. poſt una adde ut Act.4.l.35.c.2.p. 141. loco adverſitatem lege diverſitatem.l.2.c.1, p.142. loco pronunciationem lege pronunciatum. l.2.c.2. p. 152. lege Vicarij l. 23.c.2.p.152.dele ſi l.40.c.2.p.155.ante D.Simon, pone Dominus Ludovicus S. Agathæ Diaconus Cardinalis dictus de Baro.l.24.c.1.p.156. poſt vigintiquinque adde; tum l.39. c.1. pag. 156. lege equitum. In Indice Chronolog. Piſ. Pontif. col. XII. nu.64.dele ob.& adde renunc.Archiep.

Si alicubi inveniantur ſimiles errores benevolus, & eruditus Lector facile emendabit.